



PARS ALTERA
ELENCHI
S. R. E. CARDINALIUM

Ab anno 1430. ad annum 1549.

EX BIBLIOTHECA EMINENTISSIMI

FRANCISCI
CARDINALIS BARBERINI

Episcopi Portuenſis, ac S.R.E. Vicecancellarij.


AVCTORE

FELICE CONTELORIO

VTRIVSQ. SIGNATVRAE VOTANTE

Ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe Canonico.

OPVS POSTHVMVM.







ROMAE,

Typis Ignatij de Lazaris M. DC. LIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissimo, & Reuerendissimo Principi

MARCELLO SANCTACRVCIO

S. R: E. Cardinali Amplissimo.

IO: MARIA GONTELORIVS.



OSTHVMVM hoc opus Felicis Contelorij Auunculi mei tibi inscribere volui, Eminentissime Princeps; tum ob magna, & plurima, quæ in eum contulisti, dùm viueret, quorum memoriam excidere nolui, tùm quia in eo de re Cardinalitia agitur, cui dignitati ex tuis fulgoribus non parum accessit; At enim, & generis antiquitate, & maiorum splendore, qui per multa sæcula, & titulis, & fascibus, & non minus gloriosissimis palmis, & Sacra ipsa purpura claruerunt, & propria insuper Sapientia pietate, religione, & potissimum zelo in Sedis Apostolicæ dignitate, reque Romana tuenda nemini cedis. Quare ex tuo nomine non solùm his Purpuratis nouum ornamentum addidero, sed laboribus Patrui mei in hoc posthumò opere lauream illam imponam, qua nullam aliam magis gloriosum ambire potuisset, atque vltimam honoris metam attigisse gloriabitur. Sed quemadmodum ea in te esse perspicimus, quæ omnes suscipiant, & magni emulentur, sic tenuè hoc munusculum minimè aspernando eam in te quoque esse humanitatem ad cumulum comprobabis, quam vniuersi mirentur.

Bernar.


INDEX.

Fede-

Geor-

EVGENIVS IV.

Gabriel Condolmerius Præsb. Card. Tit. Sancti Clementis die 3. Martij anno 1431. in Monasterio sanctæ Mariæ supra Mineruam Romæ in Summum Pontificem eligitur : die 11. eiusdem mensis ante fores Basilicæ Beati Petri coronatur : die 23. Februarij circa auroram anno 1447. in Palatio Vaticano migrauit ad Dominum: Electionem suam denunciauit per Literas ; quarum exemplar recitatur.



VGENIVS, &c. Dilecto filio nobili Viro N. Saluator noster Dominus Iesus Christus, qui, vt ab æterna morte liberaret humanum genus, mortalitatem carnis assumpsit, sacrosanctam vniuersalem Ecclesiam sua sacratissima passione fundatam ità in terris vsque ad consummationem sæculi perpetuari voluit, vt tamen illi, quos sponsos daret, perpetui esse non possent, disponens gregis sui oues pascendas per variam successionem Pastorum, qui eas, & verbo, & opere ad æternam gloriam inuitarent. Sanè cum fel. rec. Martinus Papa Quintus prædecessor noster, sicut Domino placuit, nuper, videlicet 10. Calendas Martij ab hac mortali lacrymarum valle ad immortalem vitam migrauerit, post funeris ipsius, ac solemnium exequiarum, vt moris est, celebrationem Vener. Fratres nostri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus; in Conclaui pro electio-

tio-

tione futuri Summi Pontificis celebranda modo, & tempore congruis, & debitis in virtute Altissimi conuenerunt, vbi varijs consilijs, & deliberationibus maturè præhabitis, prout tantæ rei, qua nulla maior agitur in Terris grauitas postulabat, tandem Spiritus sancti gratia eorum mentibus cælitus infusa, licet in alios maioribus meritis insignes conuenire potuissent; certo tamen Dei iudicio consilia sunt inscrutabilia, nos' tunc Tituli sancti Clementis Præsbyterum Cardinalem in sponsum, Pastoremque Ecclesiæ suæ sanctæ vnanimi voluntate, & concordia, elegerunt. Quoniam verò, sicut Deo placuit, ità factum est, quamuis habere nòs humeros imbecilles ad perferendum tantum onus, quantum est Ecclesiæ Vniuersalis Sarcina, sentiremus; tamen, ne reluctari voluntati Dei videremur, colla subiecimus iugo Apostolicæ seruitutis, sperantes in eo, qui infirma elegit, vt confunderet fortia (cum Romanus Pontifex, licet per ministerium hominum eligatur, ex cœlesti inspiratione procedat,) quod fragilitati nostræ robur suæ gratiæ inspirabit. Hanc ergò assumptionem nostram ad tuam consolationem significandam duximus nobilitati tuæ, quem deuotum Ecclesiæ filium esse cognouimus, & quem fixum gerimus in visceribus charitatis, exhortantes tuam Excellentiam in Domino primum, vt porrigi facias præces solemnes ad Dominum Deum nostrum, vt nostræ paruitati gratiam tribuat, Ecclesiam suam sanctam ad laudem, & gloriam eius, ac exaltationem fidei, pacem, & tranquillitatem Christiani Populi gubernandi, tu autem, (quod præcipuè decet Catholicum Principem,) vt piè colens chris-

tia-

tianam fidem, eius Antistites venereris, Nostrum, Sedisque Apostolicæ honorem, & authoritatem defendas, libertatem Ecclesiasticam tuearis, itaut & à nobis condignas gratias, & ab Altissimo, qui est solus bonorum operum retributor, æternam gloriam suscipere merearis, & cæteri exemplo tuo ad similia inuitentur. Datum Romæ apud S. Petrum 4. idus Martij Pontificatus nostri anno Primo.

CREATIONES CARDINALIVM

Die Mercurij 19. Septembris anno 1431. Romæ in cubiculo Pontificis, eodemque die rubro galero decorati.

FRANCISVS CONDOLMERIVS VENETVS Viceecamerarius, nepos ex fratre, Præsb. Tit. Sancti Clementis, deindè Camerarius, ac Vicecancellarius S. R. E. vulgò Card. Venetiarum, Legatus ad Ducem Venetiarum, obijt Romæ Episcopus Portuensis die 30. Octobris anno 1453. Ex libro Participat. Ciacconius die 5. Sept. eique attribuit Titulum Sanctæ Cæciliæ, quem non habuit. Hic, dum fuga sibi prospicit Eugenius, Roma discedens Florentiam profecturus, à Populo Romano in Capitolio detinetur anno 1434.

ANGELOTTVS FVSCVS ROMANVS, Episcopus Cauensis Presb. Tit. Sancti Marci, Romæ interemptus à famulo, die 11. Septembris anno 1444. expirauit.

SECVNDA CREATIO.

Die 9. Augusti anno 1437. Florentiæ.

IOANNES DE VITELLENSIBVS CORNETANVS, Patriarcha Alexandrinus, Tit. Sancti Laurentij in Lucina, Archiepiscopus Florentinus, Legatus bis ad Vrbem missus, & in Marchiam Anconitanam, Romæ in Castro Sancti Angeli, vbi fuerat detentus, decessit veneno, seu ex vulneribus die 11. Aprilis anno 1440. Ex libro participat. Ciaccon. die 8. Aprilis 1439. Ioannis creationem Basileense Conciliabulum, vti factam contra Decreta Concilij, irritam declarauit die 26 Septembris 1447. vt in eius Actis.

TERTIA CREATIO.

Die Sabbati 18. Decembris anno 1439. Florentiæ decem, & septem creati sunt Cardinales, eisque tàm præsentibus, quàm absentibus assignati fuerunt Tituli die Veneris 8. Ianuarij 1440.

REGINALDVS DE CARVARE Archiepiscopus Rhemensis Præsbyter Tit. S. Stephani in Cœlio monte, obijt Turoni anno 1448. vt in Gallia Christiana Claudij Roberti: Ciacconius 1446.

IOANNES EX COMITIBVS TAGLIACOTII NEAPOLITANVS, Archiepiscopus Tarentinus, Præsb. Tit. SS. Nerei, & Achillei, maior Pœnitentiarius, legatus ad Regem Renatum, & Regem Aragonum pro pace inter eos fir-

firmanda, Episcopus Legionensis, & Auriensis obijt Romæ Episcopus Prænestinus die 21. Ianuarij anno 1449.

IOANNES KEMP, Archiepiscopus Eboracensis, Presb. Tit. Sanctæ Balbinæ, postea Episcopus SS. Rufinæ, & Secundæ, & Archiepiscopus Cantuariensis; obijt die 22. Martij anno 1453. Legatus in Regno Angliæ. Ex Auctore de Antiquitate Ecclesiæ Britannicæ: Ciaccon. 1456. Sed ex Bullis Pij II. viuebat Ioannes die 23. Iulij 1453.

NICOLAVS DE ACCAPACIO SVRRENTINVS, Archiepiscopus Capuanus, Præsb. Tit. Sancti Marcelli, missus ab eodem Pontifice in exilium, quo mortuo, Romam reuersus, honore maximo receptus est, omni populo obuiam effuso, tandem obijt Romæ die 3. Aprilis 1447.

LVDOVICVS DE LVCEMBVRGO GALLVS, Archiepiscopus Rothomagensis, Præsbiter Tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum, obiit in Anglia die 4. Octobris 1443. Ex Gallia Christiana. Hunc Ciacconius contendit vocandum Ludouicum de Bar, & falsò vocari Ludouicum de Lucemburgo. At in Bulla Eugenii Quarti anno 1442. vocatur Ludouicus de Lucemburgo.

GEORGIVS DE FLISCO CIVIS, & Archiepiscopus Genuensis Præsbyter Tit. Sanctæ Anastasiæ, Episcopus Albinganeñ, & Ostiensis, Legatus in Dominio Genuensi ad sex menses, obiit Romæ die 8. Octobris 1481. ex lib. particip. Ciacc. 1460.

ISIDORVS KYEMI CONSTANTINOPOLITANVS, vel, (vt alii tradunt) Patria Thessalonicensis, Archiepiscopus

Ru-

Ruthenus, Præsb. Tit. SS. Marcellini, & Petri, Commendator Ecclesiæ Sanctæ Agathæ, Episcopus Sabinus, Episcopus Corphiensis, Nicasiensis, & Patriarcha Constantinopolitanus, & Nigropontensis Legatus in Græciam sub Eugenio IV. ac ad Imperatorem Constantinopolitanum, Nicolao V. Pontifice, obiit Romæ die Mercurii 27. Aprilis 1463. Ex libro diuiſ. Ciaccon: die 8. Martii 1464.

BESSARION TRAPEZVNTIVS, Archiepiscopus Nicenus, Præsb. Tit. Basilicæ XII. Apostolorum, postea Episcopus Sabinus, & Portuensis, & Tusculanus, Episcopus Pampilonensis, Patriarcha Constantinopolitanus, vnius noctis Pontifex, Legatus Bononiæ, & Exarchatus. In Germaniam pro pace inter Federicum Imperatorem, & Sigismundum ipsius fratrem, ac Matthiam Regem Vngariæ ineunda, ad Regem Galliæ, ad Regem Angliæ; Ducem Burgundiæ, & Ducem Venetiarum pro defensione fidei Catholicæ contrà Turcas; decessit Rauennæ die 18. Nouembris 1472. Romæ ipsius exequiis in Basilica XII. Apostolorum Xistus Quartus interfuit.

GERARDVS LANDRIANVS MEDIOLANENSIS, Episcopus Comensis, Præsb. Tit. Sanctæ Mariæ in Transtiberim Legatus ad Principes Lombardiæ, obiit Viterbii die 9. Octobris 1445.

SBIGNEVS OLESNICIVS, Episcopus Cracouiensis, Præsbiter Tit. S. Priscæ: hic certior factus à Branda Placentino, & Iuliano S. Angeli Cardinalibus, tunc Sedis Apostolicæ Legatis de eius ad Cardinalatum assumptione per Eugenium, gratias agens respondit, quod

non

non ægrè ferrent, si dignitatem non acceptaret, cum id ageret, ne Ecclesiæ Vniuersalis auctoritas læderetur: creatus est anno 1440. anticardinalis à Felice V. & Nicolaus illi dignitatem posteà confirmauit, & die 28. Iulij anno 1449. pileum rubrum transmissit: ex Bulla eiusdem Nicolai, & Actis Concilii Basileensis. Ciacconius asserit Cardinalatum sibi ab Eugenio IV. oblatum suscepisse. Die prima Aprilis 1455. Sandomiriæ decessit. Die 20. Iunii 1455. eius obitus Romæ nuntiatus est.

ANTONIVS MARTINI DE CLAVIBVS, Episcopus Portugallensis, Præsb. Tit. S. Chrysogoni, decessit Romæ die 11. Iulii 1447.

PETRVS, Episcopus Augustanus, Præsbiter Tit Sancti Vitalis, Legatus in Vniuersa Germania pro expeditione contra Turcas, obiit Augustæ die 14. Aprilis 1469. ex lib. Diuis. Ciaccon. die 12.

IOANNES IVVENIS PICCARDVS, Episcopus Morineñ, Præsb. Tit. S. Praxedis: ex lib. diuis. deindè S. Laurentii in Lucina: Hic distulit præstare consensum, donec Eugenius declararet, an dignitatem concessisset cum retentione Episcopatus. Legatus pro pace componenda inter Alphonsum Aragoniæ Regem, & Rempublicam Florentinam, Ducem Mediolani, Philippum Mariam Anglum, Ducem Venetorum, ac in eumdem Alphonsum, & personas Ecclesiasticas in Regnis Valentiæ, Maioricarum, ac Comitatibus Rossilionis,

DYONISIVS ZECHVS, Episcopus Agriensis, Præsb. Tit. S. Cyriaci in Thermis, creatur Archiepiscopus Strigonien-

niensis die 15. Februarii 1440. postea Legatus Sedis Apostolicæ pro concordia inter Ladislaum Regem Hungariæ, ac Prælatos, & Barones ad ipsum Ladislaum coronandum.

GVILLELMVS ESTOVTEVILLA, Electus Andegauensis, Præsb. Tit. S. Martini in Montibus, distulit assensum præbere oblatæ sibi per Eugenium dignitati, donec declararetur, an Cardinalatus fuisset concessus cum retentione Ecclesiæ Andegauensis, Episcopus Portueñ, & Ostiensis. Episcopus Maurianensis, Lodonansis, Ebredonensis: Archiepiscopus Rothomagensis, Legatus in Regno Franciæ, S. R. E. Camerarius, obijt Romæ die 22. Ianuarij 1483.

FR. IOANNES DE TVRRECREMATA, Magister Sacri Palatij ex ordine Prædicatorum, Presbyt. Tit. Sancti Xixti, deindè S. Mariæ in Transtiberim, obijt Romæ Episcopus Sabinus die 26. Septembris anno 1468.

ALBERTVS DE ALBERTIS, electus Camerariensis, Diac. S. Eustachij, decessit in Crypta Ferrata prope Vrbem die 11. Augusti 1445.

QVARTA CREATIO.

Die 1. Iulij anno 1440. Florentiæ.

LVDOVICVS SCARAMPVS MEDIAROTA, Patriarcha Aquileiensis, Præsbit. Tit. S. Laurentii in Damaso, deinde Episcopus Albanus, Legatus in Marchiam, ad Regem Aragonum, in exercitu contra Nicolaum Piccininum, in Classe Maritima contra Turcas, ac

S. R.

S. R. E. Camerarius, obiit Romæ 22. Martii anno 1465. Ex libro diuisionum Ciaccon. die 27.

PETRVS BARBVS, Sedis Apostolicæ Notarius, Electus Ceruiensis, Diac. S. Mariæ Nouæ, postea S. Marci, & Commendator S. Cæciliæ, Episcopus Vicentinus, Patauinus, & deindè Paulus Secundus.

QVINTA CREATIO.

Die Sabbati 2. Maij anno 1444. Romæ.

ALPHONSVS BORGIA; Archiepiscopus Valentinus, Presb. Tit. SS. Quatuor Coronatorum, postea Calistus Tertius. Ex libro Prouisionum Eugenii. Hanc creationem Ciacconus locat sub die 12. Iulii anno 1444. eo scilicet die, quo primum in Vrbem ingressus est.

SEXTA CREATIO.

Die 16. Decembris anno 1446 Romæ.

HENRICVS DE ALLOSIO, Archiepiscopus Mediolanensis, Presb. Tit. S. Clementis, Legatus in Archiepiscopatu, obiit Romæ die 4. Iulii anno 1450.

THOMAS LVCATVS DE SARZANA, Episcopus Bononiensis Presb. Tit. S. Susannæ, postea Nicolaus V.

IOANNES SICVLVS, Abbas S. Pauli extra moenia Vrbis, Præsb. Tit. S. Sabinæ, obiit Neapoli die 21. Ianuarii 1449.

IOANNES CARAVAIAL HISPANVS, ex Sac. Palatii Apostolici

lici Auditore Episcopus Placentinus, Diac. S. Angeli, deinde Episcopus Portuensis, ac SS. Rufinæ, & Secundæ, legatus ad Federicum Imperatorem pro pace inter ipsum, Regnumque Hungariæ tractanda, & inter Theodaicum Archiepiscopum Coloniensem, Ducemque Cliuensem, rursus Legatus in Germaniam, Regna Hungariæ, Boemiæ, Poloniæ, & Dominia Turcis subiecta, ac Reipublicæ Venetorum, & in Anconam pro expeditione contra Turcas: decessit Romæ Episcopus Portuensis die 6. Decembris anno 1469. ex libro Diuis. Ciaccon ann. 1465.

Alanus Episcopus Auenionensis se pro Cardinali ab Eugenio Quarto creato gerebat, ex quo idem Eugenius de eo in Cardinalem assumendo tractauerat in Consistorio secreto, eidemque scripserat, vt pro reuocanda pragmatica sanctione laboraret sub spe consequendi Cardinalatum; Quare Eugenius declarauit suæ intentionis non fuisse, vt illum in Cardinalem assumpserit, vt in Bulla die 30. Ianuarii 1446, postmodùm vero idem Alanus creatus est Cardinalis à Nicolao V.

Scribit Ciacconius Cardinales Ioannem Casanouam, & Guillelmum Diuanum de Monte forti fuisse creatos à Martino V, & ab Eugenio publicatos, licet à Martino publicati fuerint, vt scripsi, sed ab eodem Cardinalatus insignia non recepisse. Quapropter quæsitum fuit, quomodo Eugenius potuerit publicare Cardinales, quos Martinus in pectore reseruauerat, cum reseruatio in pectore nil aliud sit, quàm

men-

mentalis creatio, nulli, nisi Deo, nota quoad personam Reseruati in pectore in Cardinalem declarandi. Cui, vt morem gererem, respondebam Reseruationes in pectore, quæ à Paulo Tertio adhæc vsque tempora sunt in vsu non redigi in scriptis, sed verbo tenus Pontificem declarare de consensu Sac. Collegii se Cardinalatus dignitatem deferre vni, vel pluribus, quos sibi reseruat in pectore alio tempore publicandos, ita vt Cardinales in secreto Consistorio præsentes ignorent omninò, qui sit creatus, & reseruatus in pectore, & Pontifex pro arbitrio possit declarare, qui nam sit ille, quem in pectore reseruauit. At reseruationes huiusmodi tempore Martini V., & Successorum Pontificum in scripto redigantur, & pro earum vi, & validitate Bullæ, Breuia, aut decreta consistorialia emanabant, ac reseruationem in pectore, nomina, & cognomina, immo & mores erant nota Cardinalibus, quorum vota in secreto Consistorio, ita exquirebantur, vt ipsis non consentientibus nullus ad dignitatem Cardinalatus assumeretur. Subiiciam exemplar reseruationis in pectore sub Martino V. à Cardinalibus subscriptum, vt exindè Quæsitor intelligat potuisse ab Eugenio publicari Cardinales, quos Martinus creauerat, cum eorum nomina publicata in secreto Consistorio, & in scripta redacta ignorare non posset.

RESERVATIO IN PECTORE.

Anno Domini 1426. Die Veneris nono Calendas Iunii Romæ in Palatio Sancti Petri, præſentibus omnibus Cardinalibus, qui erant in Curia, excepto Cardinali Aquileienſi, qui tunc infirmabatur, ad quem fuerunt miſſi duo Cardinales, videlicet Placentinus, & de Comite pro eius voto ſciendo, & ipſis conſiſtorialiter congregatis in forma conſueta, ſcrutinio præcedente ſecreto, publicè creauimus, aſſumpſimus, & pronunciauimus vltra Cardinales eadem die aſſumptos, & publicatos Dominicum Epiſcopum Illerdenſem in Præsbyterum, Proſperum de Columna, Dominicum de Capranica electum Firmanum, Iulianum de Cæſarinis Auditorem Cameræ Diac. S. R. E. Cardinales, qui Illerdenſis, & Firmanus alias iuxta morem conſuetum creati fuerunt, ſed ex bonis cauſis tunc, & nunc vnà cum duobus aliis noluimus publicari, ſed Dominico, Illerdeñ reſeruauimus locum ſuum, licet publicatus non ſit.

Item volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi contingat nos mori ante publicationem dd. quatuor Cardinalium, habeantur ſtatim pro publicatis ſolemniter, etiam quoad electionem Romani Pontificis, & ad omnia alia, etiam ſi Tituli ipſis quatuor aſſignati non eſſent.

Item volumus, ſtatuimus, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decreuimus, & mandamus omnibus, & ſingulis Cardinalibus ſub pœna excommunicationis

ipſo

ipſo facto, & inhabilitationis vocis actiuæ ſcilicet, & paſſiuæ, quoad electionem Romani Pontificis, quod in caſu ſcilicet mortis noſtræ ante publicationem dd. quatuor Cardinalium, quod ipſi alii Cardinales teneantur, & debeant, immediatè ſcilicet infrà diem naturalem, habita notitia mortis, publicare prædicta, prædictosque Cardinales recipiant, & admittant in omnibus, ac ſi publicati, & admiſsi fuiſſent, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum.

Ita fuit A Card. Epiſcopus Preneſtinus Laudenſis manu propria.

A. Cardinalis Bononienſis.

F. Epiſcopus Sabinus Card. Venetiarum.

A. Card. Aquileienſis.

G. Card. Senenſis.

T. Card. Tricaricenſis:

B. Card. Placentinus.

G. Card. S. Marci.

R. Card. de Brancaccijs.

A. Card. Sancti Euſtachij.

L. Card. de Comite.

FE-

FELIX QVINTVS.

Amodeus Dux Sabaudiæ primus, ac militum in solitudine Ripalliæ degentium Decanus, & Auctor, die quinta Nouembris anno 1439. Basileæ creatur Pseudopontifex votis viginti sex electorum ex triginta tribus, qui interfuerunt. Ex Cardinalibus solus adfuit Ludouicus Alamandus Archiepiscopus Arelatensis ab Eugenio Quarto iam Cardinalatu priuatus, sed in Conciliabulo Basileensi habitus pro Cardinali. Cæteri triginta duo fuerunt selecti ex nationibus Italicà, Germanica, Gallica, & Hispanica, octo scilicet ex qualibet natione.

Die Iouis 17. Decembris Amodeus ab Oratoribus Conciliabuli missis, supplici precum instantia requisitus est, vt electioni de se factæ vellet assentiri; At ille post multiplices seorsum cum grauibus personis consultationes ad laudem Dei flexis genibus electioni consensit, & humiliter acquieuit, restitutis priùs Annatis, quas Patres Basileenses Eligendo Pontifici sustulerant, quapropter ab ijsdem Oratoribus in Ecclesia sancti Mauritij Ordinis Sancti Benedicti in solitudine Ripalliæ fuit (vt loquuntur) intronizatus.

Die 24. Iunij 1440. Basilicam ingressus est, vbi Die 24. Iulij ante valuas Ecclesiæ maioris in Platea, post consecrationem, coronatur; Cardinalis Arelatensis munus Episcopi Ostiensis exercuit; Ludouicus autem de Palude Dominus de Varambone anticardinalis Præsb; Tit. S.Su-

S. Susannæ ab ipso Amodeo creatus primi Diaconi Officium adimpleuit, capitique coronam imposuit.

Transactis annis nouem Lausanæ, ad quam Conciliabulum fuerat translatum, cessit Pontificatui anno 1449. die sepiima Aprilis, & à Synodo lausana die 25. fuit nominatus, & creatus Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, Vicariusque perpetuus in ditione Ducis Sabaudiæ, & Principum Pedemontium, & Montis ferrati, ac Marchionum Salutiarum, & in Comitatu, & Territorio Astensi, nec non in Prouincia Lugdunensi citra Sagonam, & in Augustensi, Lausanensi, Basileensi, Argentinensi, Constantiensi, & Sedunensi Ciuitatibus, ac Diæcesibus, decessit anno 1451. intrà diem duodecimum post annum Iubilei ex Commentario Pij Secundi de Concilio Basileensi: electionem suam significauit Regi Alphonso, quem sibi auxilio futurum existimabat.



ELIX electus seruus seruorum Dei carissimo filio Alphonso Regi Aragonum Illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Cognouit Vniuersus orbis quanto labore, quantaque sollicitudine vsque in hodiernum diem celebrata extitit sancta Synodus Basiliensis, quam omnes Reges Orthodoxi vniuersalem Ecclesiam repræsentare confessi sunt, & oratores ad eamdem transmiserunt, vt pro reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, quam admodum necessariam arbitrantur, sa-

ſalute publica Chriſtianæ Religionis, virtuoſe decertarent, In hoc ipſum concurrit duorum prædeceſſorum noſtrorum ſummorum Pontificum auctoritas, & totius Chriſtianæ Religionis aſſenſus. Et nos cum in minoribus eſſemus conſtituti Oratores noſtros pariter cum ceteris Principibus orbis in eadem ſancta Synodus habere curauimus, tantoque animo deſiderauimus, vt illa ſancta opera publicam ſalutem concernentia, in quæ adſpirabat ipſius ſanctæ Synodi deſiderium, & in quorum proſequtione iam fere nouem annis cum multis laboribus, & anxietatibus occupata extitit felices progreſſus, & votiuam conſumationem acciperent; Tandem vero diebus iſtis ad nos miſſi ſunt per eandem ſanctam Synodum Nuncii plurimi, & nouiſſime aduenerunt dilectus noſter filius Ludouicus Tituli S. Cæciliæ S R.E. Cardinalis Arelatenſis Legatus de Latere, & Venerabiles fratres noſtri Epiſcopi ſeptem, Abbates quatuor, aliique in Theologia Magiſtri, ac vtriuſque legis Doctores legati, & Oratores eiuſdem ſanctæ Synodi vſque ad numerum viginti, & duorum inſignium Eccleſiaſticorum Virorum, nec non Ioannes Comes de Dierſtein Locum tenens Protectoris Imperialis ipſius ſanctæ Synodi; Ludouicus de Lanſer Prouincialis per Elſatiam Ord. B. M. Theutonicorum, VVilhelmus de Brunembergh miles, cum quibus erant Magiſtri Artium Ciuitatis Baſileenſis nouus, & antiquus aliique ex parte eiuſdem Ciuitatis ad nos deſtinati, qui neceſſitates Eccleſiæ diffuſis ſermonibus nobis expoſuerunt recitantes labores magnos, tam diuturno tempore pro ſalute vniuerſalis Eccleſiæ, & totius Chriſtianæ Religio-

gio-

gionis impensos , necnon aduersitates plurimas in contrarium procuratas &c. Deinceps quoque vlteriori expectatione quatuor mensium habita, eadem sancta Synodus considerans diuturnam vacationem Sedis Apostolicæ plenam esse periculis, & plurimis onustam dispendiis, ad vlterius Pontificis electionem procedere decreuit, præmissis quampluribus solemnitatibus in hoc ipsum congruentibus, & aliis circa hoc necessariis, & opportunis, prout eandem sanctam Synodum Cardinalatus, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali dignitatibus, variisque graduum, & scientiarum Titulis insignitis, & omni natione habita rerum diligenti, & matura discussione pro perquirenda salute Vniuersi orbis, factisque pluribus Scrutiniis per diuersos dies intrà Conclaue, quod huiusmodi gratia more in talibus consueto subierant, Nos licet immeritos ad Summi Apostolatus apicem eiusdem sanctæ Synodi auctoritate vocarunt, & elegerunt, fuitque deinceps ipsa electio per eandem Synodum in suis deputationibus, ac generali Congregatione, ac sessione publica vnanimiter laudata, & approbata, atque etiam ex abundanti ratificata, & confirmata, super qua præfati Legati, & Oratores Nos multipliciter requisiuerunt, vt eandem electionem acceptaremus, & in ipsam nostrum præstaremus consensum; erat autem non parum graue nobis tantæ rei pondus assumere, qui iam à pluribus annis occupationes extrinsecas, & sollicitudines effugere decreueramus, solitariamque mansionem delegeramus ad quietem nostræ grandioris ætatis, neque Nos vllatenùs sufficere arbitrabamur in tantæ administrationis Vniuersæ

C Ec-

Ecclesiæ, curam; gubernationemque gerendam; allegarunt autem illi, quos Synodus transmiserat graue nobis fore peccatum, & non mediocrem diuinæ Maiestatis offensam, ex cuius largiflua bonitate multa gratiarum munera, multorumque bonorum copiam suscepimus, si vocationem hanc contemneremus, si Ecclesiæ in necessitatis tempore seruire recusaremus, cuius conculcabatur auctoritas, veritas, & Iustitiæ oppugnabantur, aut languoribus, & doloribus eius pro nostris viribus subuenire refugeremus, pro qua Christus Deus noster sanguinem suum preciosum fundere dignatus est, plurima quoque pericula vniuersæ Reipublicæ Christianorum imminere ferebant ex ipsa nostra recusatione, & pro necessitate orthodoxæ fidei ad euitationem schismatum, repressionem malorum imminentium, promotionemque bonorum in gloriam Dei Creatoris, nostri Nos instantissimè orabant, & obsecrabant, & requirebant, quatenus Matri Ecclesiæ, ex qua spiritualiter nati sumus, nostra in afflictionibus suis non denegaremus obsequia, quibus plenè auditis, & intellectis leuauimus oculos nostros ad eum, qui habitat in Cælis, vt nostri misereretur, nobisque donaret facere voluntatem suam, tandem vero resistere non valuimus pietati Ecclesiæ Nos vocantis in opus ministerii huius, quin immo attendentes plurimas necessitates eiusdem Ecclesiæ corpus, & bona nostra pro salute, & honore ipsius offerre duximus, nec refugere sollicitudinem, & laborem, aut illius nostram præferre quietem, si bono communi Christianorum in aliquo auxiliari posse videbamur. Nec verò ad hoc capessen-

dum

dum miniſterium opes Eccleſiæ, quæ nullæ, vel paucæ ex patrimonio, vel ex obuentionibus aderant Nos impulerunt, nec mundana oblectatio, cum res plena eſſet anxietatum, & laborum, ſatis quidem nobis ex diuino munere rerum temporalium copia ſuppetebat; & poteramus in tranquillitate grata reliquos vitæ dies agere, verum non Nobis ſolis nati ſumus, nec noſtri exiſtimus; ſed illius, qui nos redemit pretio magno, cuius beneplacito obtemperare potius deſiderantes, quam noſtræ voluntati conſenſum noſtrum electioni celebratæ per ſanctam Synodum, prout fuimus requiſiti, ſub confidentia quoque ſuperni auxilii, & diuinæ pietatis, gubernacula Sedis Apoſtolicæ ſuſcepimus, non parum ſperantes tuam deuotionem in hoc tantæ rei pondere nobis ſemper prompta ferre auxilia, quæ pro ipſa auctoritate Conciliorum generalium multos labores impendit, atque ſanctam ipſam Synodum Baſileenſem in Spiritu Sancto legitimè congregatam, repræſentantem vniuerſalem Eccleſiam aſsidue recognouit, vt ſic te, ac ceteris Principibus, atque Prælatis orbis adiuuantibus miniſterium nobis iniunctum ad Salutem cunctorum exercere valeamus, quod vna cum Zelo fidei Orthodoxæ, & bono communi Religionis Chriſtianæ, cui toto corde, & omni poteſtate à Domino nobis conceſſa ſeruire intendimus ſingulariter etiam pro tuendo Principum honore ſuſcepimus in gloriam Diuinæ Maieſtatis, quæ ſuam Eccleſiam vſque ad conſummationem ſæculi ſeruare dignatur in terris. Non mireris; quod Bulla exprimens nomen noſtrum non eſt appenſa præſentibus; nam hi, qui fuerunt ha-

ctenus electi in Romanos Pontifices, ante suæ consecrationis, & benedictionis solemnia in suis bullandis literis modum hunc obseruare consueuerunt, Datum Tononii Gebennensis Diœcesis pridiè Kal. Ianuarii suscepti à nobis Apostolatus Officii anno primo.

CREATIONES ANTICARDINALIVM

Die 29. Ianuarij 1440. concessum est Felici à congregatis in Ciuitate Basileensi, vt priusquam Basileam veniret coronationis insignia recepturus, aliquos fama praclaros, ac scientia, seu magnæ nobilitatis generositate conspicuos iuxtà exigentiam decreti sessionis XXIII. in S. R. E. Cardinales assumere, & publicare posset insignijs, & honoribus Cardinalatus, & emolumentis vsuros, fuit postea mense Septembris dispensatum, vt duos, vel tres, quamuis ex vna Diæcesi pro illa vice dumtaxat posset creare, vt ex actis Concilij.


Mense Aprilis anno 1440. apud Thononinm ante Coronationem creati sunt Anticardinales.

LVDOVICVS DE PALVDE Comes, seu Dominus loci de Varambore, Lausanensis Episcopus, Præsbiter Titulo S. Susannæ. Ciacconus in hac prima creatione recenset Ludouicum Episcopum Lausanensem; & in quarta creatione locat Ludouicum de Varambono, vti duos anticardinales, cum tamen vnus, idemque sit Cardinalis ex Bulla Nicolai V. ex Actis Concilii Basileensis, ex Commentario Pii II. de rebus

bus Basileæ, gestis stante, vel dissoluto concilio; creatus est iterùm Cardinalis à Nicolao V. vbi Vide.

BARTHOLOMÆVS SCARAMVCCIA NOVARIENSIS Episcopus in familiam Vicecomitum adscitus, qui dignitatem Cardinalatus sibi à Felice delatam occultè quidem suscepit, sed publicè se illam recusasse profitebatur, vt eam ab Eugenio Quarto consequeretur, vt in Actis Concilij. Pius Secundus affirmat illum in Romana Curia Florentiæ coram Eugenio dignitati cessisse, quem audi loquentem in Commentario. Bartholomæus de Vicecomitibus, Episcopus Nouariensis Scaramucciæ frater iuuenis ad Episcopatum assumptus est, non sua tantum virtute, quam germani fauore: Scaramuccia namque, qui & Georgius dictus est, humili natus loco, puer admodum Gabrieli Vicecomiti seruiuit, quo apud Ianuam capite truncato ad Ioannem Vicecomitem Mediolani Ducem puer se contulit, cum eo quoque, dum is percuteretur fuit, eiusque occisioni interfuit, repertusque est lacrimans super cadauer, ac sic postea Philippo seruire cœpit melioribus auspicijs, à quo ditatus est, in tantumque dilectus, vt in numero quoque Vicecomitum reciperetur, & frater suus Bartholomæus Episcopus fieret, huic Episcopo ego quoque seruiui, dum is esset Basileæ, magnique nominis haberetur propter Ducem, & cum eo Mediolanum iui; & per Nouariam fideliter sibi tribus annis famulatus sum, postea cum in legatione ducali Florentiam missus secutus sum, sibi vir perdi-

tus



cus in malignitatem natus eum delusit, confingens se Eugenii inimicum &c. post narratam conspirationem de capiendo Eugenio Florentiæ subdit. Post inde paucos dies liberatus est Episcopus, Mediolanumque iuit cum D. Cardinale Sanctæ Crucis, qui non nihil negotii habebat cum Duce, ac ire Attrebatum ad tractandam pacem inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ debebat, quem ego secutus sum, & iussu eius iui in Scotiam, sed cum reuertissem, nolui esse apud Eugenium in Bononia, ne mihi imputaret facta Nouariensis; fui ergo Basileæ diu, interfuique omnibus, quæ acta sunt contra Eugenium, postea in secretarium acceptus sum à Felice nouo Papa creato, apud quem, dum Cardinales crearentur, operam dedi, quod is quoque Nouariensis fieret Cardinalis, idque factum est, sed postea (mutatis rebus) cum Felicem omnes relinquerent, nec eius Papatum amplecti vellent, ego ad Cæsarem Federicum me recepi, nec etiam volui statim de parte ad partem transire: Nouariensis vero Episcopus Cardinalatum renuntiauit non sine spe noui Cardinalatus ab Eugenio obtinendi, quæ spes adhuc eum tenet.

VVALDRAMVS DE MORSA Dominus de Baer, electus Traiectensis; hic recusauit dignitatem, scripsit tamen se venturum ad Concilium, cessit Ecclesiæ Traiectensi sub Nicolao V. Ciacconus vocat Vrbanum. Ex Actis Concilii.

ALPHONSVS DE CARILLO Protonotarius Apostolicus: hic pariter recusauit dignitatem: Ex Actis Concilii tom. 2.

tom. 2. Cap. 16., vbi legitur præfatos quatuor fuisse à Synodo approbatos.

Creatus est etiam à Felice Sbigneus Episcopus Cracouiensis, antequam Basileam ingrederetur, vt asserit Pius II. in Commentario: hic licet fuisset creatus Cardinalis ab Eugenio IV. se tamen gessit pro Cardinali, vti creatus à Felice, cui per Nuntium gratias egit Basileæ die vltima Octobris 1441., vt in Actis Concilii. Vide sub Eugenio.

SECVNDA CREATIO.

Die 12. Octobris anno 1440. Basileæ.

ALEXANDER ZIAMOVITI MOSCOVIORVM Ducis filius, Patriarcha Aquileiensis, & Administrator Ecclesiæ Tridentinæ, Præsb. Tituli Sancti Laurentii in Damaso, abdicauit: hunc Nicolaus V. creauit, seu confirmauit in Episcopum Tridentinum sexto idus Nouembris 1448.

OTHO DERTVSENSIS Episcopus Præsbyter Sanctæ Pudentianæ: hic die 13. Aprilis anno 1445. coram Eugenio Quarto, & Cardinalibus cessit Cardinalatui. Ex Bulla Eugenii.

GEORGIVS HISPANVS VICEN. Episcopus Præsb. Tit. Sanctæ Anastasiæ, posteà Sanctæ Mariæ Transtiberim, priuatus est Cardinalatu ab Eugenio Quarto, qui etiam Episcopatum Visensem Iacobo de Cardona

na

na concessit ex Balla Eugenii die 22. Septembris 1445.

FRANCISCVS GEBENNENSIS Episcopus, Præsb. Tit. Sancti Marcelli.

BERNARDVS, AQVENSIS Episcopus Præsb. Tit. SS. Nerei, & Achilei.

IOANNES, ARGENTINVS Episcopus, Præsb. Tit. Sancti Xisti.

IOANNES GRVNVVALDER, Episcopus Frisigensis; nothus Alberti Ducis Bauariæ, Præsb. Tit. Sancti Martini in Montibus, Viennæ 2. die Decembris decessit Episcopus.

IOANNES DE SEGOBIA HISPANVS, Archidiaconus de Villa Vizzosa in Ecclesia Metensi, Theologus Conciliabuli, Præsb. Tit. S. Callixti.

PVBLICATIO.

Die 12. Nouembris anno 1440.

Habitis litteris ex Francia, quod infrascripti essent accepturi dignitatem Cardinalatus Papa constitutus in medio Synodalis Congregationis, consultatione primo habita cum Cardinalibus, ex primo creatis per ipsum nominauit in Cardinales Præsbyteros S. R. E. omnes absentes, vt legitur in Actis Concilij tom. 2. cap. lib. 16. cap. 36. hi sunt

DIONYSIVS Patriarcha Antiochenus, Administrator Ecclesiæ Parisiensis.

AMO-

AMODEVS DE TALANI, Orator Regis Galliæ, Archiepiſcopus Lugdunenſis, obiit die 11. Februarii anno 1443.

PHILIPPVS DE COERQVIS, Turonenſis Archiepiſcopus.

NICOLAVS DE TODESCHIS, Archiepiſcopus Panormitanus:

IOANNES DE MALESTROT, Nannetenſis Epiſcopus, Tit. S. Honuphrii obiit apud Nantes die 14. Septembris 1443.

GERARDVS MARIETTVS CASTRENSIS Epiſcopus, Caroli Regis Franciæ Confeſſor: hunc Ciacconus vocat Ioannem, qui pariter ſuit Regis Confeſſor.

CREATIO.

Die 6. Aprilis 1444. Gebennis, vt in Actis Concilij Ciacconus creationem refert ad annum 1443. creati ſunt quinque Cardinales, quatuor Præsbyteri, & vnus Diaconus ex quibus duos dumtaxat Felix publicæ nominauit, hi ſunt.

IOANNES DE ARSIS GALLVS Archiepiſcopus Tarantaſienſis Præsb. Tit. Sancti Stephani in Coelio Monte, creatus poſtea, ſeu confirmatus à Nicolao V., vbi vide.

LVDOVICVS VISENSIS Epiſcopus Orator Regis Portugalliæ. Ciacconus in hac creatione recenſet Ludouicum de Varambone, de quo ſuperius locutus ſum,

& Vuillelmum Hugonum, & Vincentium, de quibus infrà.

Reperiuntur in Actis Concilij Basileensis à Felice creati, seu nominati infrascripti, sed quo tempore, incertum.

VVILLELMVS HVGONIS GALLVS Archidiaconus Metensis Iuris consultus pro Concilio: hic primò recusauit dignitatem; ex quo diceret se non habere redditus sufficientes pro ea seruanda, sed postea, obtentis beneficijs, dignitatem suscepit cum Tit. Sancti Marcelli. Ciacconus illi attribuit Titul. Sanctæ Susannæ: hic confirmatus est in Cardinalatu à Nicolao V. vbi vide.

VINCENTIVS Archiepiscopus Gneznensis; suscepit hic dignitatem, cui postea cessit sub Nicolao Quinto die 2. Octobris 1447. vt in Bulla Nicolai: obijt anno 1449.

BARTHOLOMÆVS DE VITELLENSIBVS CORNETANVS Præsb. Tit. Sancti Marci: hic Cardinalatum suscepit, & interfuit Concilio Basileensi, Lausariam translato contra Eugenium, vt in Bulla Concilij. Ciacconus affirmat eum recusasse dignitatem.

THOMAS DE CORCELLIS GALLVS Canonicus Parisiensis, Theologus pro Concilio, recusauit dignitatem, ex quo redditus non haberet pro dignitate seruanda. Ciacconus non meminit.

IOANNES DE RAGVSIO ex Ordine Prædicatorum electus, vt disputaret contrà Boemos. Pius II. de Concilio Basileensi m s. non meminit Ciacconus.

Quid actum sit de Cardinalibus à Felice creatis excipite


ex

ex Pio II. in Commentarijs de Concilio Basileensi. Inito pacis tractatu sic conuenit inter partes. Felix Papatum resignet, Primusque Cardinalium esto, & in suis dominiis legatus perpetuus; Ludouicus Cardinalis Arelatensis pristinam dignitatem habeto, & Cathedram Pontificalem recuperato; Ludouicus de Varambone; Hugo Metensis, Tarantasiusque in Cardinalatu remaneant; cæteri, vt facultas esset, promoueantur. Concilium, elapso Iubileo, ad annum in Regno Franciæ Nicolaus indicat, si Principes annuant cæteri &c. Sic finis schismati, modusque fuit, & Federici Cæsaris opera, & sapientia Nicolai V.



FELIX QVINTVS

Pontificatu ſe abdicat.



ELIX Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quas ob cauſas euocati, & emoti Curiam Apoſtolici Regiminis ſuſcepimus, toti ſæpè numero manifeſtauimus Orbi. Quanquam enim imparitatem noſtrarum virium ad ſuſtinendam huiuſmodi oneris grauitatem ſentiremus, nihilominus, vbi Vniuerſalis Eccleſiæ Baſileæ in Spiritu Sancto legitime congregatæ, pias exhortationes ſcilicet, & ſanctas iuſsiones accepimus, quibus ad ſuccurrendum auctoritati Eccleſiæ ſuppreſſæ nimium inſtanter commouebamur, concaluit introrſus cor noſtrum pietate, quæ ad omnia valet, & charitate, quæ omnia ſuſtinet animum formidoloſum congeminantibus, atque confidentes in illo, qui poteſt, & de cuius agebatur negotio, tranquillam ſolitudinem relinquimus, laborioſum, & immenſum aggredientes opus, namque nihil immortali Deo placentius offerre poſſe exiſtimauimus, quam conatus noſtros in obſequium Eccleſiæ grandibus, & inſuetis oppugnationibus conturbatæ. Quid nempe condignum reddi poteſt ab homine illi noſtræ inclytæ matri, cuius in gremio fidelis quiſque ſalutem conſequitur, propter quam vnigenitus Dei Filius, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus de ſinu Patris ad terras deſcendere, & Sanguinem proprium eſ-

effundere dignatus est; Cumque ipsam videremus tantis perplexam anxietatibus, vt nullus mortalium ab exhibitione possibilis auxilii deberet excusari, profecto necessitate, deuotione suadente, spe denique in finem optimum ducendarum rerum freti personam, operas, facultatesque nostras ex integro deuouimus ei; aderat namque tempus, quo ab omnibus vehemens restingui debebat incendium &c. Proindè satagentes grauissimis, & ab horrendis periculis &c. obuiare, ac ostendere cunctis fidelibus rectitudinem nostræ, Deo inspirante, voluntatis, quod non caducorum, futiliumque bonorum, sed communis salutis causa, sedem Apostolicam teneremus non præesse, sed prodesse, cupientes, in sancta Synodo Basileensi personaliter comparere voluimus, subireque communes pro salute publica labores; Cumque in temporis processu luculenter exploratum foret dissensiones, & differentiæ materiam in Ecclesia sancta Dei magis, ac magis obdurari, dubitantes, ne à quouis hominum de scandalo notari possemus, oblationes multas, & pergrandes Regibus, & Principibus orbis destinare curauimus, ex quibus quidem animaduertere potuerunt nos nostra propria non quærere, sed quæ Iesu Christi, publicamque pacem, nec veri... à formis, modisque priscis à Patribus, dum schismata vigerent pro vnitatis, & pacis obtenta traditis, ac practicatis deuerti, liberari, apertoque animo semper acquieuimus omnibus, & singulis, quæ ad serenitatem, reintegrationemque Ecclesiæ iudicata fuerunt quomodolibet opportuna, atque longe feruentiore studio inuigilauimus, per nostrarum cessionis, & renunciationis medium dis-

ſertos, diſtantesque animos Chriſti fidelium counire, quam in Sede Petri manentes ſchiſma diutiùs immorari; non ignoramus enim ſchiſmatis incommoda mortifera; ſcimus è contra Chriſtianam Religionem à pacis auctore fundatam, ſine pacis vinculo damnoſæ confuſioni ſubiacere, cumque pax omnium rerum tranquillitas ſit, & ea nihil gratius ſoleat audiri, nihil poſtremò melius inueniri, debito filialis adſtringebamur pietatis ipſi noſtræ matri luctuoſæ venuſtatem, iucunditatem, integritatem, vnionem, & pacem extrema poſſibilitate procurare, quantumque pro huiuſmodi excelſi, & deſideratiſſimi boni conſequutione perſeueranter, & indefeſsè laborauerimus apud ipſos Reges, & Princeps, cæterosque fideles ex noſtris accuratiſſimis, multiplicium quoque literarum tenoribus totus percognouit orbis, nunc igitur, vt ſemper conſtituti ſub ineffabili incompræhenſibilique prouidentia Dei omnia dirigentis, & diſponentis, in melius poſt acerrimos, continuoſque labores, quos ſolius veritatis manifeſtandæ, auctoritatisque ſacrorum generalium Conciliorum conſeruandæ gratia voluimus amplecti: Poſt maximè cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti francorum Regis illuſtrium ſupplices, frequentesque inſtantias, quorum ſaluberrimis ſuaſionibus intentas ſemper accomodauimus aures noſtros omnes cogitatus per orbem diſperſos in arcem vnicæ conſiderationis reducimus deſiderantes namque toto corde in hoc dierum noſtrorum reſiduo beatam pacem in Eccleſia Dei diſſeminari, quæ veluti à noſtris egreſſa ma-

ni-

nibus in corda omnium fidelium dilabatur, ſinceritatem noſtræ intentionis per æuum teſtatura, exemplo Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſic dilexit Eccleſiam, vt pro ea non modo formam ſerui acciperet, ſed traderet ſemet ipſum, ſancta in hac Synodo Lauſanenſi in Spiritu Sancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentante purè, liberè, ſimpliciter, & ſincerè, realiter, & cum effectu in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Papatui, eiusque oneri, honori dignitati, titulo, & poſſeſsioni cedimus, & renunciamus per præſentes, ſperantes, quod in futurum præfati, cæterique Reges, & Principes Prælati, & alij Catholici, quibus huiuſmodi noſtram renunciationem acceptiſsimam fore iudicamus auctori generalium Conciliorum aſſiſtent, eamque tuebuntur, & defendent, quodque vniuerſalis Eccleſia, pro cuius dignitate, ſupereminentia, & auctoritate totis viribus pugnauimus, nos apud clementiam primi, & æterni Paſtoris noſtræ huiuſmodi pacificè humilitatis contemplatu ſuis deuotis, iugibusque orationibus commendabit. Datum Lauſani vij. Idus Aprilis anno à Natiuitate Domini 1449. Pontificatus noſtri anno nono.

Io Marende.

N-

NICOLAVS QVINTVS.

Thomas de Sarzana Episcopus Bononiensis Praesb. Card. Tit. S. Susannae die Lunae, sexta Martij anno 1447. in Monasterio Beatae Mariae supra Mineruam Romae creatur Summus Pontifex, eademque die ad Sanctum Petrum perrexit. Die Dominica quarta quadragesimae, quae fuit xix. Martij ad gradus Basilicae Sancti Petri coronatur, & indè albo vectus Equo, Rosam auream deferens profectus est ad Basilicam Lateranensem, Cardinalibus Episcopis, Principibus, caeterisque Officialibus solemni ritu comitantibus, vt ex libris Sacri Collegij, & Camerae Apostolicae. Die Lunae 24. Martij anno 1454. inter quintam, & sextam noctis horam migrauit ad Dominum. Ciacconus asserit Nicolaum Coronationis insignia suscepisse tertio nonas Martij.

Electio Nicolai ex Pio II. in Commentariolo de rebus Basileae statutis, vel dissoluto Concilio gestis: m. s.



PLACVIT omnibus apud Mineruam in medio cultae Vrbis conclaue haberi, sic enim minus est periculi, quam si apud S. Petrum haberetur: Populus in armis habitus est ad custodiam conclauis, Aeneas, & Procopius cum certis Regum, & Principum oratoribus ad custodiam portae Conclauis delecti

cti sunt. Cardinales postquam Conclaue intrauerunt, procedentes, vt moris est, ad electionem bifariam diuisi sunt. Erat enim factio Columnensis, & factio Vrsina; sed Columnensis validior erat, ideoque multi erant, qui Cardinalem de Columna eligebant virum probum, & nobilem, alij Dominicum de Capranica, alii Cardinalem Pampilonensem nominabant, atque in his tribus erat vocum multitudo: superabat tamen omnes Prosper de Columna, nullus autem iuxta Canonicas sanctiones duas partes vocum habebat; Cardinales Veneti, & Vrsinorum factio adirata erat contrà Columnam; sperabatque octo Cardinales esse; qui numquam permitteret Columnam obtinere, cumque secundo Scrutinio inuentum esset, nullum voces habere sufficientes, sed Prosperum superare omnes, (decem enim Cardinales eum nominabant;) antequam . . . dissolueretur Quid (inquit Ioannes Morinensis) cum periculo tempus terimus? damnosa est nimis mora nostra, aduersarium habemus Amodeum, qui non dormit, & hoc tempus vacationis sibi aptissimum arbitratur. Regem Aragonum cum exercitu vicinum habemus nec quid moliatur, scimus; Populus in armis est, tota Ciuitas trepidat, agite, finem rei imponamus. Prosperum, vt videtis, maior pars vocat, quin acceditis atque hunc Pontificem accipite, & quem nam potestis habere meliorem? Ciuis Romanus est nobilissimus, Martini quoniam Papæ nepos, qui Ecclesiam feliciter gubernauit, nolite timere quin sub hoc consultum sit optimè Ecclesiæ; nunquid mansuetudinem vultis? quis eo benignior est? quis moribus facilior? Angeli vi-

tam in humano corpore videtis, nulla iactantia hic est, nulla elatio; perliberalis est, & oculatus, omnes hunc diligunt, nullum hic vnquam offendit, literæ in eo sunt, omnes hic partes habet; quas Pontificis dignitas requirit, ne, quæsò, sistite ampliùs, periculosa est omnis mora, clausi sumus, & quid intrà Vrbem agatur, ignoramus. Mouerunt hæc verba Bononiensem, surgebatque, vt qui vocem dare Columnensi vellet, tunc Ioannes Tarentinus territus admodum, mane (inquit) Bononiensis paulisper, nihil est in rebus humanis maius electione Papæ, festinatio cæca est, & inimica consilij; ponderate quid agatis, nolite præcipitanter agere, scitis huius Vrbis diuisiones, partitæ discordijs, nolite reclusos gladios eximere, & sopitam diuisionem excitare: eligamus Papam, suo more, fiat suo tempore vnum Scrutinium, quid est? nunquid diem crastinam non possumus expectare? Tunc Ludouicus Aquileiensis, Quid tu differs in Papatu tantum, quin potiùs dicis, quem velis Papam: At ille, dicam, inquit, hunc ego Bononiensem velim, & pacem sub eo sperarem, qui doctissimus est, & absque parte bonorum, sanctorumque morum. Et ego, inquit Ludouicus, & ego Morinensis, & successiuè omnes, eum elegerunt, factusque est ex inspirato, sed de communi omnium voluntate Pontifex, ruptisque Conclauis repagulis emissus, & acclamatus est Pontifex, vestitus Pontificalibus, & intronizatus, omnesque ad osculum eius admissi, vocatusque Nicolaus V., quod nomen accepit ob memoriam Cardinalis Sanctæ Crucis, qui sibi dilectissimus Dominus fuerat.

PRI-

PRIMA CREATIO.

Die Veneris 16. Februarij 1448. in quatuor temporibus anno Primo, vt in Bulla Nicolai, & libro Diuisionum Ciaccon. refert creationem ad diem XXI. Martij anno secundo.

ANTONIVS CORDANVS Archiepiscopus Messanensis Præsb. Cardinalis Tit. Sancti Chrysogoni, deindè Episcopus Illerdensis, & Administrator Ecclesiæ Iuuenacensis, legatus de latere pro componenda pace inter Alphonsum Regem Aragonum, & Florentinos: die 12. Septembris 1459. Romæ decessit. Ciaccon. refert obitum ad annum 1458.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris XX. Decembris anno 1448., vt in libris Prouisionum, & Diuisionum sacri Collegij, creati sunt Cardinales Romæ apud Sanctum Petrum. Ciacconus refert creationem ad 1449.

ASTORGIVS AGNENSIS Archiepiscopus Beneuentanus Præsb. Tit. S. Eusebij, decessit Romæ 1451. die X. Octobris.

LATINVS DE VRSINIS ab Eugenio IV. creatus, Episcopus Compsanus, deindè Archiepiscopus Tranensis, & Præsbyt. Tit. SS. Ioannis, & Pauli, Archi-

præsbyter Ecclesiæ Lateranensis, Commendatarius Ecclesiæ Vrbinatensis, legatus in Marchia Anconitana, & Massa Trabaria, & Præsidatu Farfensi, ac in Regno Siciliæ ad coronandum Ferdinandum Siciliæ Regem, deinde Episcopus Albanus, decessit Episcopus Tusculanus S. R. E. Camerarius Romæ die xi. Augusti anno 1477.

ALANVS COETIVVS GALLVS Episcopus Auenionensis Præsb. Tit. Sanctæ Praxedis, postea Commendator Ecclesiæ sanctorum Cosmæ, & Damiani; Administrator Ecclesiæ Nemausensis, legatus in Regno Galliarum vsque ad Rhenum inclusiuè pro colligenda decima contra Turcas, contrà quos Cruciatam indixerat, & deinde sub Pio II. legatus in Britannia, Sabaudia, & Delphinatu, ac Episcopus Prænestinus, obijt Episcopus Sabinus Romæ die 3. Maij anno 1474. ex libro communium seruitiorum. Ciacconus asserit obijsse die 22. Iulij. Hic quia affirmabat se in Cardinalem ab Eugenio Quarto fuisse receptum, idem Eugenius declarauit se eum in Cardinalem non elegisse. Vide sub Eugenio.

IOANNES REOLINVS GALLVS Episcopus Aeduensis Præsb. Tit. S Stephani in Coelio Monte. Obijt in Gallijs die 22. Iunij anno 1483.

PHILIPPVS CALANDRINVS Frater Papæ, Episcopus Bononiensis Præsb. Tit. Sanctæ Susannæ, postmodum Tit. S. Laurentij in Lucina, & Episcopus Albanus, & demum Portuensis. In Marchia Anconitana, & Massa Trabaria, & præsidatu Farfensi legatus: obiit Balneoregij die 22. Iulii anno 1476,

NI-

NICOLAVS DE CVSA Archidiaconus Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi Præsb. Sancti Petri ad Vincula, legatus in Germania pro morum correctione, item pro ineunda pace inter Theodoricum Archiepiscopum Coloniensem, & Ducem Cliuensem. Item in Bohemia pro reductione Boemorum. Item in Germania. Item ad Dietam in Oppido Viennensi pro submouendis dissensionibus occasione tutelæ Ladislai Regis inter Principes Regni Hungariæ, & Bohemiæ, & Federicum Imperatorem. Item ad hoc, vt nobiles Prussiæ, & fratres Hospitalis B. Mariæ Theutonicorum inducat ad pacem. Item pro pace procuranda inter Regem Franciæ, & Angliæ. Rursùs ad Regnum Angliæ pro quærendis auxiliis contra Turcas: obiit Tuderti die XII. Augusti anno 1464.

TERTIA CREATIO.

AMODEVS cessit Pontificatui die 7. Aprilis 1449., eademque die habitus est pro Cardinali ex literis Nicolai Quinti, qui præfatum Amodeum constituit Sedis Apostolicæ legatum, & Vicarium perpetuum in Prouincia, Ciuitatibus, Diœcesibus, atque dominiis Duci Sabaudiæ mediatè, vel immediatè subiectis, necnon in Terris Bernentium, quæ in Diœcesi Lausanensi consistunt, hoc addito, vt, si vltra tres dies extra legationis fines moram traxisset, legatio ex-

expiraret, vt in Bulla Data Fabriani anno Incarnationis Dominicæ 1449. quarto Calendas Septembris.

QVARTA CREATIO.

Die Veneris 19. Decembris creati sunt, & die sequenti publicati sunt anno 1449. S. R. E. Cardinales : ex Bulla Nicolai V.

IOANNES DE ARSIIS Archiepiscopus Tarantasiensis à Felice Quinto olim creatus cum Titulo Sancti Stephani in Coelio Monte, Præsbyter Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, decessit die 12. Decembris 1453.


LVDOVICVS DE PALVDE COMES, seu Dominus de Varambone Episcopus Maurensis à Felice Quinto olim creatus cum Titulo Sanctæ Susannæ, Præsbyter Tituli S. Anastasiæ, obijt Romæ XXI Decembris 1451.

VVILLELMVS HVGONIS è stagno Virdunensis, Archidiaconus Metensis à Felice V. creatus cum Titulo Sancti Marcelli Præsbyter Tit. Sanctæ Sabinæ Episcopus Sedunensis, cui cessit, & Administrator Ecclesiæ Foroliuiensis in Prouincia Aquensi, obiit Romæ die 28. Octobris anno 1455.

Hi tres anticardinales à Felice Quinto creati, creati sunt etiam S. R. E. Cardinales à Nicolao V. ex concordia inter Felicem Quintum, & eumdem Nico-

laum

laum inita studio S. R. E. Cardinalium, & Ludouicus Cardinalis Arelatensis à Martino V. creatus, restitutus est ad Cardinalatus dignitatem, qua fuerat ab Eugenio deiectus, eademque de causa factum est, vt Patres Concilii Basileensis Nicolaum V. pro vero Pontifice agnouerint, illique debitam obedientiam præstiterint, vt ex literis, quæ subiiciuntur.



Sa-

Sacrosancta generalis Synodus Lausanensis in Spiritu Sancto legitime congregata Vniuersalem Ecclesiam repræsentans.



D perpetuam rei memoriam. Multis ab annis circumspicientes Ecclesiam Catholicam grauissimis impedimentis, & conturbationibus infestari, tum consurgentibus erroribus, tum moribus deprauatis, tum, proh, dolor, inualescente schismate, quo mentes Christi fidelium paruo momento huc, & illuc impulsæ nutantes, incertèque vagabantur, accuratissimis studiis inuigilauimus pro imminentibus periculis, grassantibusque malis in virtute Sancti Spiritus obuiare, & pro nostra possibilitate consulere publicæ saluti in idem tempus deueneramus, permittente Deo, quo non modo perniciosa erroris alicuius audacia, vel promulganda disciplina virtutum, vel inter diffidentes Principes, Populosque firmanda concordia videretur, verum operæ pretium fuit auctoritatem Ecclesiæ vniuersalis insolentiùs oppugnatam viribus accumulatis, & extremis defensare, atque tanto fortius incumbere continuò, gloriosoque certamini, quanto ex tanta ostensa, suppressaque virtute iudicauimus populum Christianum in scandalum irreparabile collapsurum, nobis ipsis persuadentibus, nullo vnquàm conuenientiore, fructuosioreque labore detineri posse, quam tanta in tempestate fluctuanti Ecclesiæ mitigatis fluctibus turbulentis succurrendo anchoram firmam

vnius

vnius veritatis, vnius Confeſſionis, vnius pacis in Domino iacientes, vt, quemadmodùm vna fides eſt, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus,ità vnanimitatem, integritatem, & pacem vna ſancta Catholica confiteretur Eccleſia, in hacque ſua peregrinatione terrena, cuius finis eſt tranquilla æternitas, & æterna tranquillitas, perſuaui ſerenitate frueretur, ſaluti cunctarum animarum, ac commoda. Is ſanè finis à noſtrorum laborum initio ante oculos verſabatur, hoc noſtrum perſeueranter continuauimus propoſitum, ad id ipſum noſtri ſemper efferbuere cogitatus, & actiones omnes vſquequaque direximus, prout ex decretis, reſponſionibus, epiſtolis, legationibus, mandatis, patientia, longanimitateque noſtris nulli Chriſtianæ nationi arbitramur incognitum, quantuſque fuerit cum tunc ſanctiſſimo Domino Felice Papa V. noſter ad pacem affectus, quantiſque congratulationibus oblata media vnionis, non ſolum ſuſceperimus, verùm etiam declarauerimus neceſſariam eſſe pacem, auctoritate tamen Eccleſiæ iuxtà diffinitionem ſacri Conſtantienſis Concilii illibata permanente, maximè percenſuerunt cariſſimorum Eccleſiæ filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis illuſtrium complurimis in dietis ſolemnes Oratores; ſed & nouiſſimè diebus iſtis ſanctiſſimi Domini tunc Felicis Papæ V. præclaram, ingentemque ſanctimoniam iidem ipſi perceperunt, dum pro Eccleſiæ Vniuerſalis integra pacificatione, quieteque finali obtinenda, purè, liberè, ſimpliciter, & ſincerè, realiter, & cum effectu ceſſit,

& renunciauit Papatui, volens exemplo Domini nostri Iesu Christi, cuius vices gerebat in Terris, semet ipsum deiicere, vt Eccesiam in summo tranquillitatis culmine collocaret, atque suæ humilitatis admirabili remedio Populum Christianum serenaret claritate pacis, insignis vtique pietate vir laudibus altissimis extollendus, cuius inclyta virtus, nec obliuione eorum, qui nunc sunt, neque reticentia futurorum poterit sepeliri, sed etiam excellentissimum è cælo dimissum munus suscipiendum, cum omni promptitudine, & alacritate animorum, propter quod in sempiternum agendæ sunt, habendæque gratiæ clementissimo Domino Deo nostro, qui Ecclesiam suam sanctam tantam nostris temporibus felicitate donauit, vt, exterminata caligine, beata pax oriens ex alto corda omnium fidelium illustrando lætificet, sursum propterea nostræ mentis oculos pia deuotione subleuantes, attentaque meditatione pensantes, sapientiam illam æternam pertingentem à fine vsque ad fines, & disponentem omnia suauiter apertissimam viam ad abundantiam, plenitudinemque tranquillæ vnionis ostendisse boni quidem supereminentis, & incorporabilis, quod longa expectatione cupiuimus, nihil iam profecto nobis agendum superesse arbitramur, quam vt cum recta voluntate præfati D. Felicis concurrentes pacem ipsam desideratissimam, pro qua omne nostris temporis curriculum elaboratum est, in vna tandem animorum, atque Principatus consensione complectamur; fuit namque pax semper nostræ intentionis vnicus finis, & terminus nostræ sollicitudinis requies, & amœnitas pacis existit, nostri porro

cer-

certaminis pacem esse præpotentem ; & opulentam Victoriam esse profitemur, desiderantes itaque de vnico Pastore vni sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ prouidere, cuius sollicito, sanctoque ministerio populus Christianus feliciter gubernari, atque pacificis, & salutiferis semper adaugeri valeat incrementis, complurimis suadentibus, & vrgentibus causis, & præsertim dilectione dandæ vnionis, & pacis in Ecclesia sancta Dei in personam dilectissimi Ecclesiæ filii Thomæ in sua obedientia Nicolai V. nominati nostra vota contulimus, sperantes ipsum ea facturum, quæ Summus Pontifex facere tenebatur: Ad laudem Dei omnipotentis salutem, pacem, & consolationem omnium Christi fidelium, sancta hæc Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata vniuersalem Ecclesiam repræsentans, matura, vnanimi, concordique deliberatione, præhabitis in suis sacris deputationibus, votis dilectissimorum Ecclesiæ filiorum Ludouici Tit. Sanctæ Ceciliæ Arelatensis, Ludouici Tit. Sanctæ Susannæ de Vvatambone, Georgii Tit. S. Mariæ in Transtiberim Vicensis vulgariter nuncupatorum, Ioannis Tituli Sancti Callixti, Ioannis Tit. S.Stephani in Cœlio Monte de Arsiis, Bartholomæi Tit. S. Marci Cornetani vulgariter nuncupatorum, & Guillelmi Tit. Sancti Marcelli S.R.E. Præsbyterorum Cardinalium, ac Venerabilium, necnon dilectorum Ecclesiæ filiorum Archiepiscoporum, Electorum, Abbatum, diuini, & humani Iuris Magistrorum, & Doctorum, ac omnium, & singulorum eidem S. Synodo incorporatorum præfatum dilectissimum Ecclesiæ filium Thomam in Summum elegit

Pontificem nomine, quo nunc appellatur, Nicolaum V. appellandum, vtque pro Summo Pontifice habeatur præsentis decreti tenore ex certa ſcientia ſtatuit, & ordinat, & decernit iuribus, decretis, & ordinationibus etiam ſacri Baſileenſis Concilii quibuſcumque non obſtantibus, quibus, quoad huiuſmodi actus celebrationem volumus eſſe derogatum, ſupplentes, omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in præmiſſis, etiamſi tales forent, de quibus deberet præſentibus fieri mentio ſpecialis, mandat propterea, iubet, atque præcipit hæc ſancta Synodus omnibus, & ſingulis Catholicis, quatenus eidem, tanquàm vnico vero, & indubitato Summo Pontifici obediant, pareant, & intendant. Datum Lanſanæ in ſeſſione noſtra publica in maiori Eccleſia Lanſanenſi ſolemniter celebrata XIII. Kal. Maii anno à Natiuitate Domini 1449.

P. Hemon.



CAL-

CALLIXTVS III.

Alphonsus Borgia Præsb. Card. Tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum die Martis Octaua Martij circa horam XV. anno 1454. in Palatio apud Sanctum Petrum Summus Pontifex renunciatur. Die 20. eiusdem mensis ad gradus Sancti Petri coronatur. Die Dominico 6. Augusti hora 23. anno 1458. migrauit ad Dominum.

CREATIONES S. R. E. CARDINALIVM

Die 20. Februarij anno 1456. Pontificatus secundo Romæ apud S. Petrum creauit tres Cardinales, quos non publicauit, sed reseruauit in pectore, eique Titulos attribuit, prout ex Bullis eiusdem Pontificis, quibus se Cardinales, qui præsentes aderant in Consistorio subscripserunt, & die Veneris 17. Septembris anno 1456. apud Sanctam Mariam Maiorem publicauit: Ciacconus recenset hos Cardinales vti creatos die 18. Septembris 1456. hi sunt.

IOANNES LVDOVICVS MILANVS Nepos Pontificis ex sorore, electus Segobiensis, & B. Mariæ de Albariazino Ecclesiarum inuicem vnitarum Præsb. Tit. Sanctorum quatuor Coronatorum, deinde Episcopus Illerdensis, legatus Bononiæ, & Commissarius, vt discordias in Principatu Cataloniæ, & Comitatu Barchinonensi inter Ioannem Regem Aragonum,

&

& Communitates illarum partium, obiit, Iulio Secundo Pontifice. Ciacconus refert obitum ad diem decimum Septembris anno 1507. at ipse viuebat die prima Nouembris eodem anno 1507. teste Paride de Grassis in Diario; qui etiam die 22. Decembris anno 1508., dum recenset Cardinales, qui sub Iulio II. vsque ad eam diem obierant, Ludouici non meminit.

IACOBVS DE PORTVGALLIA electus Vlisibonensis Diaconus Sancti Eustachij, vt in Bulla eiusdem Pontificis. Ciacconus vocat Diaconum Sanctæ Mariæ in Porticu: fuit Commendator Ecclesiæ Paphensis, decessit Florentiæ die 27. Augusti anno 1459., vt in libro Participationum. Ciacconius die 16. Aprilis 1419 Impressoris errore.

RODERICVS LENZOLIVS DE BORGIA Nepos ex Sorore Pontificis, Sacrista in Ecclesia Valentina, Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Commendator Ecclesiæ B. Mariæ in Via lata. Episcopus, & deindè Archiepiscopus Ecclesiæ Valentinæ, Commendator Ecclesiæ Carthaginensis, ac Maioricensis, Episcopus Albanus, deindè Portuensis, legatus in Marchia Anconitana. Item ad Regna Hispaniarum ad Henricum Regem Castellæ, & Legionis ad Alphonsum Regem Portugalliæ, quibus nomine Sixti IV., & Sacri Collegij Cardinalium pollicitus est, quod Sixtus duos promouebit ad Cardinalatus apicem ad præces Henrici, & vnum ad præces Alphonsi. Item legatus ad Ferdinandum Regem Siciliæ ad interessendum Solemnitatibus matrimonij inter Regem Fer-

Ferdinandum, & Ioannam Ioannis Regis Aragoniæ filiam, & ad benedicendam ipsam Ioannam, eiusque capiti imponendam coronam; quam idem Sixtus consecrauerat, Dux, & Commissarius exercitus Sedis Apostolicæ sub Callixto, ac S.R.E. Vicecancellarius, & demùm Alexander Sextus.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris 18. Decembris anno 1456. ex Bulla eiusdem Pontificis. Ciacconius die 17. Romæ apud S. Petrum.

RAINALDVS PISCITELLVS Archiepiscopus Neapolitanus Præsb. Tit. Sanctæ Cæciliæ, decessit die prima Iulij anno 1457. Ex libro Participat. Ciaccon. 3. Idus Iulij anno 1458.

IOANNES DE' MELA Rotæ Auditor à Martino V. creatus anno 1423., Episcopus Zamorensis Præsb. Tit. S. Priscæ, postea Episcopus Seguntinus, obijt Præsb. Tit. S. Laurentij in Damaso die 13. Decembris nocte antecedenti 1467.

IOANNES CASTELLIO MEDIOLANENSIS Episcopus Papiensis Præsb. Tit. Sancti Clementis, Legatus in Marchia Anconitana, ac in Germania obiit die 14. Aprilis 1460.

AENEAS DE PICCOLOMINIBVS SENENSIS Episcopus Præsbyt. Tit. Sanctæ Sabinæ, vt in Bulla eiusdem Pontificis. Ex libro diuisionum, postea Pius Secundus.

Ciac-

Ciacconius credidit creatum Diaconum S Eustachii, quam tamen Diaconiam duobus mensibus antè obtinuerat Iacobus de Portugallia, & hoc eodem tempore obtinebat.

IACOBVS THEBALDVS MONTISFERETRI Episcopus Præsb. sanctæ Anastasiæ; deindè Archiepiscopus Neapolitanus, obiit die 3. Septembris 1466.

RICCARDVS OLIVERIVS DE AVGIO Constantiensis Episcopus Præsb. Tit. S. Eusebii die 15. Martii 1462. in publico Consistorio receptus, Legatus Perusii, & Ducatus Spoletani, Tuderti, & Ciuitatis Castelli, obiit Episcopus Portuensis die 19. Augusti 1470.



PIVS

PIVS SECVNDVS.

Aeneas Siluius Piccolomineus Præsb. Card. Tit. Sanctæ Sabinæ die Sabbati 19. Augusti anno 1458. Romæ apud S. Petrum Summus Pontifex renuntiatur: die 3. Septembris sequentis in gradibus Basilicæ Vaticanæ coronatur. Die 14. Augusti hora noctis tertia anno 1464. in Ciuitate Anconitana migrauit ad Dominum.

CREATIONES CARDINALIVM

Die Mercurij 5. Martij anno 1460. in quatuor temporibus in Palatio Episcopali Senis post habitum Cardinalium assensum, ea lege adiecta, vt vnus nepos esset, creati sunt, ac publicati præter morem eadem die.

ANGELVS CAPRANICA ROMANVS Episcopus Reatinus Præsb. Tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem, posteà Episcopus Prænestinus, cum retentione denominationis, seu Tit. Sanctæ Crucis, Legatus Bononiæ, Exarchatus Rauennæ, ac Prouinciæ Romandiolæ cum facultate prædicandi Cruciatam contrà Turcas, decessit Romæ die 3. Iulij 1478.

BERARDVS HERVLVS NARNIENSIS ex Rotæ Auditore Episcopus Spoletanus, Præsb. Tit. Sanctæ Sabinæ, posteà Episcopus Sabinus, ac Perusij legatus, obijt Romæ die 3. Aprilis anno 1479.

NICOLAVS FORTIGVERRA PISTORIENSIS, Theanensis Episcopus Præsb. Tit, Sanctæ Cæciliæ, Commissa-

rius Generalis pro Sede Apostolica contra Sigismundum Pandulphum Arimini Vicarium, ac in omnibus exercitibus pro Romana Ecclesia militantibus, etiam Francisci Sfortiæ Ducis Mediolani, & Federici Comitis Montisferetri; legatus in Regno Siciliæ, Marchia Anconitana, & Romandiola, legatus in Classe trasuehenda è Ciuitate Pisana in Anconitanam, decessit Viterbij die 21. Decembris 1473.

BVRCKARDVS A VVEISPRIACH GERMANVS Archiepiscopus Salisburgensis reseruatus in pectore, & die 31. Maij anno 1462. in Arce Viterbij publicatus Præsb. Tit. Sanctorum Nerei, & Achillei, obijt Salisburgi die 16. Februarii anno 1466.

ALEXANDER OLIVA DE SAXOFERRATO Generalis Ordinis Sancti Augustini Præsb. Tit. Sanctæ Susannæ, Episcopus Ecclesiæ Camerinensis, Piceni legatus, obiit Tibure 21. Augusti 1463. ex lib. Diuision.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS PROTONOTARIVS nepos ex sorore, Administrator Ecclesiæ Senensis, Diaconus S. Eustachii ad Pantheon, legatus in Marchia Anconitana, Massa Trabaria, & Præsidatu Farfensi, legatus ad Carolum Octauum venientem in Italiam, à quo non fuit receptus, legatus in Germaniam, ac in Vrbe, dum Pius Anconam proficisceretur; demùm Pius Tertius.

De his Cardinalibus loquutus est Pius ad Sacrum Collegium in publico Consistorio antequàm pileum rubrum traderet, vt scribitur lib. 4. Commentariorum, sed quia Oratio Pij non refertur; ideò eam accipite ex altero eiusdem Pij manuscripto.

PIVS

PIVS SECVNDVS Ad Cardinales in Conciſtorio publico de Cardinalibus nouiter promotis.



VAMVIS non dubitamus, Venerabiles in Chriſto fratres, ac dilecti filii, notiſsimas Vobis etiam perſonas eorum, quos feria quarta proximè decurſa in S R. E. Cardinales aſſumpſimus, pro veteri tamen conſuetudine de meritis ipſorum pauca dicemus. Quinque viri ſunt, quos & Nos, & Sacrum Collegium fratrum noſtrorum ad Cardinalatus honorem hoc tempore duximus aſſumendos. Primus eſt Angelus Reatinus Epiſcopus, verè Angelus, & vita, & morum honeſtate conſpicuus: huic frater fuit Dominicus Tit. Sanctæ Crucis in Hieruſalem quondam magni nominis Cardinalis, non minor hic germano: & multa eius extant, quæ poſſumus commemorare: Vita omnis ſua mundiſſima. Præfuit Eccleſiæ ſibi commiſſæ, non ſine magna ſubditorum vtilitate; prædicauit Euangelium multis annis plebi ſuæ, correxit mores, reformauit quæcumque inuenit malè diſpoſita. In legationibus, quas ſedes ſibi Apoſtolica mandauit, diligentiſſimus, & fideliſſimus extitit. Et nunc Bononiæ cum maxima Ciuium gratia, legationis munus exercet. Be-

rardus Episcopus Spoletanus apud Narniam non ignobili loco natus, qui cum per scholas Italiæ, Cathedras magna cum Auditorum dilectione, atque vtilitate rexisset, tandemque Romanam Curiam accessisset, à Nicolao prædecessore nostro, qui eius doctrinæ culmen admirabatur in Palatium receptus, Referendariatus officium accepit, in quo ità se gessit, vt omnia sibi crederet. Nam verbum eius, verbum veritatis fuit. Et iam tum dignus Cardinalatu iudicatus fuit. Apud Callixtum quidem carissimus fuit, nec ad promotionem eius aliud obstitit, quàm inuidia paucorum. In nostra verò familia receptus, ob famæ singularis odorem, & nostram gratiam, & aulicorum omnium beneuolentiam meruit, primusque semper apud nos habitus est, cum & prudentiam eius, & fidem, & doctrinam, & admiraremur; & diligeremus. Tertius est Nicolaus electus Theanensis vtroque iure consultus, qui sub Eugenio Pontifice Viterbium, ac Prouinciam Patrimonij pro gubernatione aliquandiù summa cum laude administrauit. Fuit hic cum ageremus in Cardinalatu, Curiæ nostræ Magister, domumque nostram, & prouidè, & pacificè rexit, in Apostolicatu verò nostro Thesaurariatus exercuit officium, quod fidem, & dexteritatem ingenii maximam requirit, neque audiuimus aliquandò alium fuisse Thesaurarium, qui eius, vel bonitatem, vel circumspectionem superauerit: Misimus eum ad Reges, & Principes, nihil ei commisimus, quod non prudenter absoluerit. Quartus est Alexander Ordinis Augustinensium Magister Generalis summus Theologiæ Sapientiæ Doctor, atque interpres, qui annos

nos duos, & quadraginta in Religione versatus, eximius cultor, & paupertatis, & humilitatis extitit. Huic Patria est Saxumferratum. Parentes eius quinquennem, aut paulò maiorem Deo dicauerunt. Cum in fontem cadens mortuo similis extraheretur, locus, in quo primò receptus est Beatæ Mariæ professionem emisit, & reuolutis annis eadem festiuitate, & Missam primam celebrauit, & Magisterium Theologiæ adeptus est, & in Ciuitate Beatæ Mariæ ad Cardinalatum per Nos assumptus est. Vir omni ex parte perfectus vocatus à Deo, tanquàm Aaron, nescius, nil petens, & dignitates prorsùs effugiens, receptus est in Consilium nostrum: traxit Nos odor boni nominis, & vita exemplarissima. Nam etsi animus eius honorem quemuis horreret, Virtutes tamen eius petebant, ne inhonoratus relinqueretur. Postremus est Franciscus Administrator Ecclesiæ Senensis, noster secundum carnem nepos, Pontificii iuris interpres, de quo non est cur verba faciamus, tum quod suspecta esset commendatio nostra, tùm quod non modo nostro, sed Cardinalium iudicio dignus hoc munere putatus est. Rogati ab eis promotionem eius fecimus, ipsi an benè consuluerint, videbunt; hic in Diaconum, cæteri in Præsbyteros Cardinales vocati sunt: Spes nobis est, vtilem hanc promotionem futuram; nam (excepto nepote nostro,) reliqui omnes matura ætate sunt. Nemo infra quadragesimum agit, doctrina singulari excellunt, prudentia, & experientia ingenij in omnibus. Nullæ in his sordes, non arrogantia, non auaritia, quæ hominem excæcat, & idolatriam facit, non libido, quæ hominum vires effeminat, non crapula,

la, non ebrietas, dominatur, vicerunt hi viri quæuis vitia, & mundæ omnibus manus, sinceræ mentes videntes, & solertes animi aptissimi profectò, qui Vicario Iesu Christi, & assistant, & consulant. Audistis qui sint, quos promouimus. Hunc, vt eorum tres, qui adsunt videatis oportet. Ite vos Diaconi Cardinales, atque eos adducite, vt in Collegio vestro consedeant.

SECVNDA CREATIO.

In quadragesima anni 1461. Pius verba fecit de creandis nouis Cardinalibus, præsertim Vltramontanis: non assensere Cardinales, ideò conuentum est, vt in natalitio Saluatoris si videretur Pontifici necessaria creatio Cardinalium, gererent omnes eius sententiæ morem. Post multos dies antè Comitia. Pius rem cum Cardinalibus tractat, & cum maiorem partem Cardinalium in suam sententiam venisse cognosceret, die lunæ 18. Decembris 1461. in quatuor temporibus Aduentus sex Cardinales, cunctis laudantibus, pronuntiauit, iussitque in diem, quæ propè aderat eiusmodi solemnitati statutam, silentio tegi. Publicatio Cardinalium in Consistorio, absente Pontefice, ob chiragram vexato, facta est.

BARTHOLOMÆVS ROVERELLA CIVIS, & Archiepiscopus Rauennatensis Præsb. Tit. S. Clementis legatus in Marchia, & in Vmbria, ac in Regno Siciliæ, vt Cruciatam prædicaret contra Turcas, & decimam exigeret; obiit Romæ die 2. Maii anno 1476.

IOAN-

IOANNES IOFFRIDIVS GALLVS Episcopus Attrebatensis Præsb. Tit. SS. Martini, & Siluestri in Montibus, ad preces Regis Francorum posteà Episcopus Albiensis; obiit in Galliis die 11. Decembris 1477. teste Ciaccono: ipsius obitus nuntiatus est Romæ die 7. Decembris ex libro Princip., ideoque multis antea diebus obiisse credendum est.

IACOBVS CARDONA Episcopus Vrgellensis Præsb. sine Titulo, cum nunquàm Romam aduenerit: obiit in oppido Ceruare in Catalonia die prima Decembris 1466.

LVDOVICVS DE ALBERTO GALLVS Protonotarius Apostolicus ad præces Regis Francorum Præsb. Tit. SS. Marcellini, & Petri, Episcopus Cadurcensis, Cardomiensis, Adurensis, & Mirapicensis, Romæ decessit die 4. Septembris 1465.

IACOBVS AMANATVS LVCENSIS, in familiam Piccolomineam adscitus, Episcopus Papiensis, Præsb. Tit. Sancti Grysogoni, deindè Episcopus Tusculanus, ac Lucanus, legatus Perusii, & arbiter inter Florentinos, & Senenses de Confinibus dissidentes, obijt in oppido Sancti Laurentij ad Cryptas propè Vulsineum die Veneris 10. Septembris anno 1479.

FRANCISCVS GONZAGA Francisci Mantuæ Principis filius, Protonotarius Sedis Apostolicæ, Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ, postea Commendatarius Ecclesiæ Sanctæ Agathæ, cum retentione Ecclesiæ S. Mariæ Nouæ, legatus Bononiæ, & Sedis Apostolicæ Commissarius in Dominijs Ludouici Marchionis Mantuæ cum facultate prædicandi Cruciatam contrà Turcas.

De-

Decefsit Bononiæ die martis 21. Octobris anno 1483 ex libro Particip.

Ciacconus infuper addit creatum fuiffe Cardinalem N. Epifcopum Eiftatenfem, qui tamen gratias agens recufauerit dignitatem, de quo nihil hucusque reperi: fides fit penes Ciacconum.



PAVLVS SECVNDVS.

Petrus Barbus Præsb. Card. Tit. S. Marci die 30. Augusti anno 1464. Summus Pontifex in Vaticano renuntiatur: Die dominica 19. Septembris eiusdem anni in gradibus Basilicæ Sancti Petri coronatur; post coronationem solemni ritu equitauit ad Ecclesiam Lateranensem ex lib. Diuisionum Sacri Collegij. Ciacconus refert coronationem ad diem nonam. Anno 1471. die Veneris 26. Iulij circà secundam noctis horam migrauit ad Dominum.



AVLVS Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio nobili Viro Federico Comiti Montis Feretri, Vrbini in temporalibus Vicario Generali salutem, & Apostolicam benedictionem; fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est; quod est Iesus Christus Saluator noster, qui pretioso suo sanguine sanctam Catholicam fundans Ecclesiam in montibus sanctis iuxtà Prophetam eius fundamenta constituit, quæ tanquàm de optimo Architectore locata, Ità altè bases suas egerint, vt diuturnitate temporis, aut tempestate prosterni nullo modo possint, sed, ipso Domino disponente, per Vicarios suos Beatum Petrum, & successores vsque ad finem sæculi sint duratura. Cum igitur fel. rec. Pius Papa Secundus prædecessor noster, summus dictæ Ecclesiæ Pon-

tifex, ac verus Iesu Christi Vicarius in sede Patri hactenus sedens in Ciuitate nostra Anconitana, ad quam pro expeditione in Turcas supra vires ætatis, & valetudinis suæ personaliter se contulerat, decimo octauo Kal. Septembris ex hac peregrinatione ad cælestem Patriam migrauit, post solemnem exequiarum celebrationem, Nos vna cum Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Palatio Apostolico apud Basilicam Sancti Petri Apostolorum Principis, loco ad id consueto, & per eosdem Cardinales concorditer electo, modo, & tempore congruis pro electione futuri Pontificis, in Conclaue ingressi sumus, vbi in primo Scrutinio missa sancti Spiritus celebrata, Deus, qui concordiam in sublimibus operatur; ità eosdem Cardinales vnanimes in tanta hac Sedis Apostolicæ prouisione effecit, vt miro, & nobis stupendo Dei consilio ad imbecillitatem nostram oculos dirigentes, Nos tunc Tituli S. Marci Præsbyterum Cardinalem ad hanc supremam honoris, atque auctoritatis sedem concorditer erexerint. Nos verò non de vobis, sed solo illo concepta fiducia, qui infima elegit, vt fortia quæque confundant, debiles manus nostras ad fortia, Humeros nostros summo superhumerali muniuimus, colla nostra humiliter subijcientes Apostolicæ seruituti, Redemptorem nostrum Iesum Christum, cuius immeritò vices gerimus, suppliciter exorantes, vt, qui per hanc vocationem in maris mundo huius altitudinem Nos deduxit, non patiatur ab ipsius tempestate demergi, Præsertim cum omnes conatus nostros pro tutela fidei Christianæ contra

tra eiusdem inimicos, & maximè ad riprimendam Turcharum rabiem dirigamus, sed illam nobis suæ potentiæ dexteram porrigat, quæ Apostolorum Principem in fluctibus ambulantem erexit, & Paulum die, ac nocte in profundo maris positum liberauit. Hanc verò assumptionem nostram ad tuam consolationem significandam duximus nobilitati tuæ, quem vti peculiarem nostrum, & Ecclesiæ filium singulari complectimur charitate, hortantes eandem in Domino primum, vt porrigi facias præces solemnes ad D. Deum nostrum, vt nobis sua gratia assistat, & gressus nostros dirigat, vt Ecclesiam suam sanctam ad gloriam, & honorem eius, extirpationem hæresum, defensionem, exaltationem fidei, pacem, & quietem Populi Christiani feliciter in Domino gubernare valeamus. Tua autem nobilitas, quod maximè Catholicos Principes decet, à quibus ceteri bene viuendi exempla debent assumere, fidem Catholicam nostram, & Apostolicæ Sedis auctoritatem, honorem, & libertatem Ecclesiasticam protegere, & defensare velit. Cæterùm Bullam plumbeam sine nostri nominis impressione esse præsentibus appensam tua nobilitas non miretur; nàm antè accepta Coronationis insignia perfectæ Bullæ vsus cum Impressione nominis Pontificis de consuetudine non habetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1464. tertio idus Septembris Assumptionis nostræ anno primo.

L. Therunda.

A tergo.

Dilecto filio nobili Viro Federico Comiti Montisferetri Vrbini in temporalibus Vicario nostro.

Marcellus.

Notificatio obitus Papæ Pij Secundi, & assumptionis Pauli Papæ Secundi ad Pôtificalem Dignitatem facta per eumdem Dominum Paulum Illustri, & Excellenti D. Federico Montisferetri Vrbini &c. Comiti &c.

CREATIONES CARDINALIVM.

Anno 1467. die Veneris 18. Septembris in quatuor temporibus creati sunt, & die sequenti publicati in Palatio Sancti Marci. Ex libro Diuision. Ciaccon. anno 1464

THOMAS BOVRCHERIVS Archiepiscopus Cantuariensis Præsbyt. Tit. Sancti Cyriaci in Thermis: decessit in Anglia die 22. Martij 1486. ex lib. Diuis., & Diario. Ciaccon. huic insignia adscribit longè à veris diuersa, si credimus Auctori de antiquitate Britanniæ.

STEPHANVS VARADA Archiepiscopus Collocensis Præsb. Tit. SS. Nerei, & Achillei. obijt in Hungaria circà Mensem Iunij 1471. ex libro Diuis., Ciaccon. anno 1473.

OLIVERIVS CARAFFA Archiepiscopus Neapolitanus Præsb. Tit. SS. Petri, & Marcellini, deindè Sancti Eusebij, Episcopus Theatinus, Caiacensis, Albanus, Sa-

Sabinus, Ostiensis, bis legatus ad Regem Neapolitanum, semel ad Regem Galliarum, ac in Classe Christiana contra Turcas legatus in Regnis, Insulis, Prouincijs, Ciuitatibus, & locis *Asiæ* minoris, & totius Plagæ orientalis Vltramarinæ: obijt Romæ die 20. Ianuarij 1511.

AMICVS AGNIFILVS Aquilanus Episcopus Præsb. Tit. Sanctæ Balbinæ, & deindè Sanctæ Mariæ in Transtiberim, obijt in Ciuitate Aquilana die 9. Nouembris 1476.

IOANNES BALVVS Gallus Episcopus Andegauensis, Præsb. Tit. Sanctæ Susannæ, legatus de latere apud Regem Francorum, ac in Marchia Anconitana die 3. Februarij 1482. primo venit ad Vrbem ex Gallijs, vbi decem, & ampliùs annis fuerat detentus: obijt in oppido Ripæ Transonis die 5. Octobris 1491. ex Diario, fuit posteà translatus in Vrbem, ideoque Ciacconus in ea credidit obijsse.

MARCVS BARBVS VENETVS Patruelis Papæ, Episcopus Vicentinus Præsb. Tit. S. Marci, Episcopus Prænestinus, Patriarcha Aquileiensis, legatus ad Imperatorem, Regemque Hungariæ: obijt Romæ die xi. Martij 1490.

FR. FRANCISCVS DE RVVERE DE SAONA Magister in sacra pagina, & Generalis Ordinis minorum Præsb. Tit. S. Petri ad vincula, & paulò post Xixtus Quartus.

THEODORVS EX MARCHIONIBVS MONTISFERRATI Sedis Apostolicæ Protonotarius Diac. S. Theodori: decef-

cessit in Ciuitate Astensi 21. Ianuarij 1484. Ciacconus secundo Calendas Februarij.

SECVNDA CREATIO.

Die Lunæ 21. Nouembris 1468. in Vaticano creati sunt Cardinales, & die Martis sequenti festo Sanctæ Cæciliæ publicati, & recepti fuerunt in publico Consistorio.

IOANNES BAPTISTA ZENO VENETVS Protonotarius, Nepos ex Sorore Pontificis Diac. Sanctæ Mariæ in Porticu, deindè Præsb. Sanctæ Anastasiæ Episcopus Vicentinus, & Tusculanus, legatus in Piceno, & Vmbria, ac in Tusciam, Venetias, & Lombardiam missus: obijt Patauij die 8. Maij 1501.

IOANNES MICHAELIVS VENETVS Protonotarius Nepos alter ex sorore, Diac. Sanctæ Luciæ in septem solijs, ac Sancti Angeli in foro Piscium, deindè Præsb. Sancti Marcelli, Episcopus Veronensis, Patauinus, Prænestinus, Portuensis, & demùm Patriarcha Constantinopolitanus, legatus in Castris contrà Ferdinandum Regem sub Innocentio Octauo; decessit Romæ die 10. Aprilis 1503. veneno sublatus.

Creati sunt alii quatuor Cardinales in secreto Concistorio, ea conditione, vt, eueniente obitu Pauli, statim Cardinales intelligerentur publicati, datique fuerunt eisdem Tituli Cardinalatus: sed à Xixto Quar-

Quarto, qui Paulo ſucceſſit non fuerunt habiti, neque recepti, nec Cardinalatus inſignibus decorati, prout cauetur in Conſtitutione Eugenii Quarti, cui fuiſſe per clauſulas generales derogatum conſuluit Alex. conſ. 3. lib. 6. Corn. conſ. 278. lib. 3. refertur etiam Iaſon. in conſ. 145. lib. 2., ſed eum in alio caſu conſuluiſſe putabam, quia in parte Bullæ, quam refert Conſtitutioni Eugenii Quarti expreſsè derogatur, quod factum non fuit in literis creationis dictorum quatuor Cardinalium. hi ſunt.

IOANNES VRATISLAVIA ORIVNDVS, Archiepiſcopus Strigonienſis.

PETRVS FOSCARVS VENETVS.

IOANNES BAPTISTA SABELLVS ROMANVS.

FRANCISCVS FERRICVS BVRGVNDVS de Cluniaco:

Ex quibus tres poſteriores Xixtus Quartus in Cardinalium numerum diuerſo tempore retulit: Strigonienſis auxilio Federici Tertii Imperatoris Archiepiſcopatum Salisburgenſem adeptus anno 1364.

THEODORVM LÆLIVM Epiſcopum Taruiſinum aſſerit Ciacconus, & deceſſiſſe antequam pileum rubrum fuiſſet adeptus: hic de albo Cardinalium delendus eſt, tùm quia in libris Sacri Collegii, & literis Pontificiis non reperitur deſcriptus, tùm quia deceſſit cum eſſet ſolummodò Epiſcopus Taruiſinus, nam die 17. Aprilis anno 1466. in Conſiſtorio Franciſcus de Perroſis Canonicus Pergamenſis promotus eſt ad Eccleſiam Taruiſinam, vti vacantem per obitum Theodori Epiſcopi, ideoque cum Theodo-

rus

rus post decem, & nouem menses à creatione; quam ponit Ciaeconus, numerandus, enuntietur simplex Episcopus, nec vlla afferatur causa priuata, vel publica, ob quam tot mensibus non fuerit habitus pro Cardinali, hinc est, vt illum inter Cardinales numerare non possim.



SIX-

SIXTVS QVARTVS.

Franciscus Tit. Sancti Petri ad Vincula Præsb. Cardinalis die x. Augusti anno 1471. in Vaticano summus Pontifex renunciatur; die 25. Augusti coronatur in gradibus Basilicæ Sancti Petri, vndè ascendens in Sedem ritu solemni profectus est ad Ecclesiam Lateranensem. Die Iouis 12. Augusti circà quintam horam noctis sequentis, anno 1484. in Vaticano migrauit ad Dominum.



IXTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Prioribus, & Communi nostræ Ciuitatis Interamnen. salutem, & apostolicam benedictionem. Creator noster, & Redemptor Dominus Iesus Christus cum mundum ex nihilo condens, cætera omnia miro quodam ordine, incompræhensibilique ratione disposuerit, atque firmauerit, sanctam tamen Romanam Ecclesiam Corpus suum mysticum figurantem ea prosequutus est charitate, ea pietate fundauit, & stabiliuit, vt agitari quidem, & fluctibus, tempestatibusque, quasi posset, mergi autem, & omninò naufragium facere non posset. sed vt potiùs, quo videretur aliquandò extremæ sorti proximiorum, eo in salutis, tranquillitati que portum per successionem Vicariorum eius, vel aliam quamuis diuinitus factam rerum commutationem reductam

consolaretur , sicut nuper fel. record. Paulo Secundo Romano Pontifice Prædecessore nostro de mortalis huius vitæ ærumnis ad cælestem Patriam septimo Calendas Augusti, sicut Domino placuit, euocato, afflicta talis Pastoris amissione mærebat Sancta Mater Ecclesia , cum Venerabiles, de quorum numero tunc eramus, eius funere , & exequiis de more solemniter celebratis, solliciti , prout grauitas rei exigebat de futuri Romani Pontificis electione, modo , & tempore congruis, in Palatio Apostolico apud Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe Conclaue ingressi nobiscum in vnam conuenientes, & super tanti negotii deliberatione aliquandiù consultantes, tandem Sancti Spiritus, à quo Ecclesia ipsa Christi sponsa regitur, infusione eorum animorum sic afflante, licet in alios, maiorum longè meritorum consentire potuissent ; tamen ad personam nostram vota sua vnanimiter dirigentes quinto idus Augusti, Nos tunc Tituli sancti Petri ad vincula Præsbyterum Cardinalem, nescimus quò occulto, sed certè nobis tremendo Dei Iudicio, in Apostolicæ celsitudinis fastigio concorditer collocarunt, super qua re, licet ipsi de nostra imbecillitate conscii virium nostrarum tenuitatem ad digne præferendum tantæ Sarcinæ onus animo metientes, aliquandiù quid nobis esset agendum dubii deleberauimus, tandem considerato, quod huiusmodi electio non ab hominibus, sed ab inspiratione diuinitùs facta, cui resistere non licet prouenisset, Cupientes benè agere, & prodesse potiùs, quam præesse in spiritus humilitate Apostolicæ seruitutis iugo collũ submisimus sperantes illum,qui ab ipsa suæ Ec-

cle-

clesiæ fundatione infirma mundi eligit, vt confunderet fortia, & qui electionis ipsius auctor fuit, vires suas in tanta necessitate nobis subministraturum. Quapropter deuotiones vestras in Domino requirimus, cohortamur, vt tanquam fideles, & obedientes filii in nostra, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotione, ac solita subiectione fideliter, constanterque persistatis, & pium, ac misericordem Deum nostrum instanter oretis, vt operi manuum suarum dexteram ipse auxiliarem porrigat, ne tanti oneris mole opprimantur, sed in beneplacito filii sui dirigantur actus nostri, vt Ecclesiæ suæ sanctæ ad sui nominis laudem, & gloriam & commissi nobis, populi animarum salutem præsideamus. Nos autem vos tanquam speciales, peculiaresque nostros, & dictæ Ecclesiæ filios fouere intendimus, & in cunctis nostris necessitatibus adiuuare. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. octauo calen. Septembris Pontificatus nostri anno Primo.

Baudetus &c.

Loco ✠ Plumbi appensi

A tergo. Dilectis filiis Prioribus, & Communi nostræ Ciuitatis Interamnen. &c.

CREATIONES CARDINALIVM.

Die Lunæ 15. Decembris anno 1471. creati sunt, & die sequenti publicati fuerunt in Consistorio, in quo pariter receperunt Titulos, fuit apertum os, & votum dederunt.

PETRVS RIARIVS Episcopus Taruisinus Tituli S. Sixti Præsb., Commendator Basilicæ XII. Apostolorum Episcopus Hispalensis, Valentiniensis, & Diensis, Mimatensis, Archiepiscopus Spalatensis, Florentinus, ac Patriarcha Constantinopolitanus: obiit Romæ die Mercurii 5. Ianuarii 1474.

IVLIANVS DE RVVERE nepos ex Fratre Pontificis, Episcopus Carpentoratensis Tit. Sancti Petri ad Vincula, Primus Archiepiscopus Auenionensis, Episcopus Virdunensis, Lausanensis, Constantiensis, Viuariensis, Mimoriensis, & Cataniensis, legatus in Marchia Anconitana, iterumque in eadem Marchia, Patrimonio B. Petri, Ducatu Spoletano, Romandiola, Massa Trabaria, Præsidatu Farfensi, item in Ciuitate Auenionensi, Comitatu Venaisino, & Prouincijs adiacentibus, legatus ad Regnum Franciæ, Prouinciam Prouinciæ; secundo legatus ad Regnum Franciæ, Angliæ, & Scotiæ. Tertiò legatus ad Regnum Franciæ à Rheno flumine vsque ad Garumnam, & ab Oceano vsque ad Alpes Italiæ pro concordia ineunda inter Regem, & Maximilianum

Du-

Ducem Austriæ; Episcopus Sabinus, Ostiensis, maior Pœnitentiarius, & demum Summus Pontifex Iulius Secundus.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris 7. Maij 1473. apud S. Mariam Maiorem.

PHILIPPVS DE LEVIS Archiepiscopus Arelatensis Tit. sanctorum Petri, & Marcellini. Romæ decessit die xi. Nouembris 1475., vt in libro Diuisionum sacri Collegii. In tumulo asseritur obiisse die 4. Nouembris. Ciacconus affirmat obijsse die 13. Ianuarii 1476.

STEPHANVS NARDINVS Archiepiscopus Mediolanensis Præsb. Sancti Hadriani, postea Sanctæ Mariæ Transtyberim obiit Romæ die Veneris xii. Octobris antè primam noctis horam anno 1484., vt in Diario Burchardi. Ciacconus die 21. Septembris.

AVXIAS DE PODIO Valentinus, Archiepiscopus Montis regalis, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, deindè sanctæ Sabinæ, Episcopus Caputaquensis Commendator Ecclesiæ Cæsaraugustanæ legatus in Germania, Hungaria, Boemia, & Polonia pro prædicanda Crucciata contrà Turcas; obiit Romæ die 7. Septembris 1483.

PETRVS DE MENDOZZA, Episcopus Seguntinus Diaconus sanctæ Mariæ in Dominica, ac sanctæ Mariæ in Porticu, deindè Præsb. sanctæ Crucis in Hierusalem,

Epi-

Episcopus Oxomen: Archiepiscopus Hispalensis, ac Toleranus: obiit in Hispaniis die xi. Ianuarii 1497.

ANTONIVS IACOBVS VENEREVS Episcopus Conchensis Præsb. Tit. sanctorum Viti, & Modesti in macello Martyrum, deindè sancti Clementis vulgo dictus Recanatensis: obiit Recineti die 3. Augusti 1479.

IOANNES BAPTISTA CIBO, Episcopus Melphiensis Præs. Tit. sanctæ Balbinæ, deindè Sanctæ Cæciliæ, demùm Innocentius Octauus.

IOANNES ARCIMBOLDVS, Episcopus Nouariensis Præsb. Tit. SS. Nerei, & Achillei, deindè sanctæ Praxedis, ac sanctæ Mariæ nouæ, Archiepiscopus Mediolanensis, legatus Perusii, item in Germania, & Hungaria, ac Bohemia: obiit Romæ 2. Octobris 1488. vt in Diario, & Bulla Innocentii VIII. Ciacconus 1491.

PHILIBERTVS, SEV PHILIPPVS DE VGONETTI, Episcopus Matisconensis Præsb. Tit. sanctæ Luciæ in Silice, deindè sanctorum Ioannis, & Pauli, legatus in Prouincia Patrimonii B. Petri in Tuscia, Episcopus Andegauensis, ac Aeduensis obiit Romæ die xi. Septembris 1484.



TER-

TERTIA CREATIO.

Die Mercurij 18. Decembris anno 1476. In Vaticano creauit Cardinales, quos publicauit die xx. Decembris. hi sunt

GEORGIVS COSTA, Archiepiſcopus Vlixbonenſis Præsb Tit. ſanctorum Marcellini, & Petri, deindè ſanctæ Mariæ in Tranſtiberim, ac Commendator Eccleſiæ ſancti Laurentii in Lucina, Adminiſtrator Eccleſiæ Bracharenſis; legatus ad Venetos, & alios pro pace Italiæ procuranda: Obiit Romæ die 19. Septembris anno 1508.

CAROLVS BORBONIVS, Archiepiſcopus Lugdunenſis Præsb. Tit. ſancti Martini in montibus, Epiſcopus Burdigalenſis; Adminiſtrator Eccleſiæ Claramontanæ, legatus Auenionenſis: obiit in Galliis die 13. Septembris anno 1488. ex Diario, & Gallia Chriſtiana Ciaccon. refert obitum ad annum 1489.

PETRVS FERRICI, Archiepiſcopus Ciraſonenſis, Præsb. Tit. ſancti Xixti: obiit Romæ die xxv. Septembris 1478.

IOANNES BAPTISTA DE MILLINIS, Epiſcopus Vrbinatenſis, Præsb. Tit. ſanctorum Nerei, & Achillei, poſteà ſancti Xixti, vt in libro diuiſ., legatus in Prouinciam Mediolanenſem ad ſedandas diſcordias obortas ob inopinatum Galeatii Mariæ Ducis Mediolani obitum: deceſſit Romæ die 24. Iulii 1478., vt in libro Participationum. Ciaccon. die xxi. Iulii.

PE-

Petrvs de Fvxo, Episcopus Venetensis Præsb. sancti Xixti ex Bullis Sixti IV. Administrator Ecclesiæ Aduren. Obiit Romæ 10. Augusti 1490. Ciacconus appellat Episcopum Oueregem: attribuit Diaconiam SS. Cosmæ, & Damiani per errorem, ac credidit fuisse professum in ordine Minorum, ex quo alter Fuxo Cardinalis senior fuit ex ordine minorum, sed non hic.

QVARTA CREATIO.

Die Mercurij x Decembris anno 1477. in Vaticano.

Christophorvs de Rvvere, Archiepiscopus Tarantasiensis Præsbyter Tit. sancti Vitalis: obiit Romæ die prima Februarii anno 1478. nonnulli male hunc appellant Tarentinum.

Hieronymvs Bassvs de Rvvere ex sorore Xixti Quarti nepos, Episcopus Ecclesiarum Recanatensis, & Maceratensis vnitarum, Præsb. sanctæ Balbinæ, deindè sancti Chrysogoni, Episcopus Eugubinus, ac Prænestinus, ac Sabinensis, obiit in oppido fabricæ, vt in Diario die prima Septembris 1507. translatum est Corpus in Vrbem, ideoque Ciacconus credidit obiisse in Vrbe.

Georgivs Hosler Protonotarius Apostolicus, Præsb. Tit. S. Luciæ in Silice, obiit in Germania mense Septembris anno 1482.

Fr. Gabriel Rangonvs ex ordine Minorum Episcopus

pus Agriensis Præsb. Tit. Sanctorum Sergij, & Bacchi, legatus in Regnum Neapolitanum contrà Turcas: obijt Romæ die 27. Septembris anno 1486., vt in Diario. Ciacconus asserit obijsse in mense Octobris, eumque vocat Gabrielem Mutinensem, ac Episcopum Albensem, & Regiensem: in Bullis tamen Innocentij VIII. enunciatur Episcopus Agriensis ex ordine Minorum sacræ Theologiæ Magister.

PETRVS FOSCARVS Primicerius S. Marci Præsb. Tit. S. Nicolai inter imagines, Episcopus Paduanus: hic fuerat à Paulo Secundo in sacrum cætum Cardinalium assumptus, sed quia non fuerat publicatus, non fuit habitus pro Cardinali: obijt ad Balnea Viterbij die 15. Augusti anno 1485. Ex Diario: sed in libro diuisionum enunciatur obijsse die xx. Augusti, Cadauer Romam delatum est. Ciacconus refert obitum ad mensem Iulij, & affirmat in Vrbe decessisse.

IOANNES DE ARAGONIA filius Ferdinandi Regis Siciliæ, Protonotarius Apostolicus, Diaconus sancti Hadriani, posteà Præsbit. Titolo Sanctæ Sabinæ, ac Sancti Laurentij in Lucina, legatus primo ad Regem Hungariæ, Boemiæ, ac Poloniæ: Rursùs ad Regem Hungariæ, & in Germaniã, Archiepiscopus Tarentinus, ac Administrator Ecclesiæ Strigoniensis, & quod, si decessisset Ioannes Archiepiscopus Salzburgensis, creatur ab Innocentio Octauo, Administrator pariter Ecclesiæ Salzburgensis anno 1484. obijt Romæ die 17. Octobris no-

ćte antecedenti anno 1485.

RAPAHEL GALEOTTVS DE RIARIO, Protonotarius Apostolicus S. Georgij ad velum aureum, ac Sancti Laurentij in Damaso Præsbyter, Episcopus Albanus, Sabinus, Portuensis, ac demùm Ostiensis, Præsul Ecclesiæ Conchen. Salamantinæ, Oxomensis, Camerinensis Lucanæ, ac Pisanæ, legatus Perusij, ac Marchiæ S. R. E. Camerarius: die 20. Iunij fuit priuatus etiam Cardinalitia dignitate à Leone Decimo, à quo die 25. Iulij 1517. restitutus est ad dignitatem, non tamen ad vocem actiuam, & passiuam in Pontificatu, quam postea obtinuit die x. Ianuarij anno 1519. mortalitatem exuit Neapoli die 7. Iulij 1521. cadauer Romam translatum est.

QVINTA CREATIO.

Die Mercurij x. Februarij anno 1478. in Vaticano.

DOMINICVS DE RVVERE, Papæ Cubicularius, frater Christophori Archiepiscopi Tarantasiensis, qui die prima Februarij obierat Præsb. Tit. Sancti Vitalis, deinde Sancti Clementis, Episcopus Taurinensis, Montisflasconis, & Cornetanus, Archiepiscopus Tarantasiensis, legatus in Partibus Pedemontium, ac Ducatu Sabaudiæ, obijt Romæ die 22. Aprilis anno 1501.

SEX-

SEXTA CREATIO.

Die lunæ quinta Maij anno 1480. in Vaticano.

PAVLVS DE CAMPOFREGOSO, Archiepiſcopus Ianuenſis, Præsb. Tit. S. Anaſtaſiæ, legatus in Claſſe Pontificia contrà Turcas; deceſſit Romæ die Iouis 22. Martii 1498.

COSMAS DE VRSINIS, Abbas Farfenſis, Archiepiſcopus Tranenſis, Præsb. Tit. S. Xiſti, deinde SS. Nerei, & Achillei deceſſit in Terra Bracchiani die 21. Nouembris 1481. corpus delatum eſt ad Monaſterium Pharfenſe. Ciacconus vocat Coſmum de Melioratis Vrſinum.

FERRICVS, SEV FEDERICVS DE CLVNIACO, Epiſcopus Tomacenſis Præsb. Tit. Sancti Vitalis, mox S. Mariæ in Dominica: Obiit Romæ die 7. Octobris 1483.

IOANNES BAPTISTA DE SABELLIS, Sedis Apoſtolicæ Protonotarius, Diac. Sanctorum Viti, & Modeſti in Macello Martyrum, poſtea Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Legatus Peruſii, ac Vmbriæ, ac etiam Commiſſarius contrà ciues Peruſinos; Item legatus ad Ianuenſes pro ſedanda diſcordia inter Dominos de Fregoſis, & de Adurnis, ac in Bononiæ Vrbe, exharcatu Rauennæ, & Romandiola: detentus fuit à Xiſto Quarto in Caſtro S. Angeli anno 1483. die 26. Martii, & die quintadecima Nouembris eiuſdem anni libertati reſtitutus: Alexander Sextus

eum Cardinalatus dignitate priuauit, ad quam eum restituit die prima Februarii 1495. obiit in Castro Candulphi die 18. Septembris 1498.

IOANNES DE COLVMNA, Sedis Apostolicæ Protonotarius, Episcopus Reatinus, Diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro, detentus est in Castro Sancti Angeli à Xisto Quarto, & priuatus ab Alexandro Sexto, & liberatus, & restitutus est vna cum Cardinali Ioanne Baptista de Sabellis; obiit Romæ die 26. noctis sequentis mense Septembris 1508.

SEPTIMA CREATIO.

Die Sabbati 15. Nouembris anno 1483. in Vaticano in Congregatione: Ex libro Participat. Ciacconus die 25. Decembris.

IOANNES DE COMITIBVS, Archiepiscopus Compsanus Præsb. SS. Nerei, & Achillei, deindè S. Vitalis, Commendator Ecclesiæ Sancti Hadriani: obiit Romæ die 20. Octobris 1493.

FR. ELIAS DE BOODEILLAS ex Ordine Minorum, Archiepiscopus Turonensis, Præsb. S. Luciæ in Silice, qui Titulus ei licet absenti fuerat datus, obiit Turoni die 5. Iulii, & die 19. Iulii 1484. allatus est Romam Nuntius de ipsius obitu.

IOANNES MOLES A MARGARITIS, Episcopus Gerundensis, Regis Hispaniarum Orator, Præsb. Tit. S. Vitalis, deindè Sanctæ Balbinæ, Commendator Oscen-

censis, & Pactensis, legatus in Prouinciis Campaniæ, ac Maritimæ: obiit Romæ die XXI Nouembris 1484. ex lib. Diuis. Ciacconus die 5. Nouembris.

IOANNES IACOBVS SCLASENATVS, Episcopu Parmensis, Papæ Cubicularius, Præsbyter Tituli Sancti Stephani in Coelio Monte, postea Sanctæ Cæciliæ, decessit Romæ die 8. Decembris 1497.

BAPTISTA, SEV IOANNES BAPTISTA DE VRSINIS, Sedis Apostolicæ Protonotarius, Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica, deindè Sanctæ Mariæ Nouæ, Præsbyter Sanctorum Ioannis, & Pauli, Administrator Ecclesiæ Carthaginensis, cuius tamen possessionem non fuit adeptus, ac Tarentinæ, legatus in Marchia Anconitana, Bononia, Exarchatu Rauennæ, ac Romandiolæ. Die 3. anuarii 1503. detentus fuit in Palatio Apostolico iussu Alexandri Sexti, ex quo in Arcem Sancti Angeli ductus est, vbi die 22 Februarij eiusdem anni expirauit, vt aliqui tradunt veneno.

OCTAVA CREATIO.

Die Mercurij sexta Martij anno 1484. in secreto Consistorio, & die 17. fuit publicatus.

ASCANIVS MARIA SFORTIA DE VICECOMITIBVS, Episcopus Papiensis, Diac. SS. Viti, & Modesti in macello Martyrum, Episc. Nouariensis, ac Cremonensis, le-

legatus in Prouincia Patrimonii B. Petri in Tuſcia, Ciuitate Bononiæ, exarchatu Rauennæ, ac Romandiola, & ad Regem Galliæ in Italia commorantem, quo Rege Romam adueniente anno 1494. detentus eſt in Palatio Apoſtolico; anno 1500. captus à Gallis, & ductus in Galliam à Rege; anno 1501. libertatem adeptus eſt. Alexander Sextus eum Cardinalatu priuauit, quem die vltima Ianuarii 1495. illi reſtituit, deceſſit Romæ die 28. Maii 1505. defuncto Xiſto Quarto fuit dubitatum an Aſcanius Maria vocem haberet in eligendo ſummo Pontifice cum Cardinalatus inſignia non ſuſcepiſſet iuxtà Bullam Eugenii Quarti, & fuit deciſum vocem habere, quia illi non fuerat clauſum os à Xiſto.

In ſecunda Ciacconi editione aſſeritur Thebaldus de Luxemburgo ex Monacho Ordinis Ciſtercienſis Epiſcopus Cenomanenſis circà annum 1474. deſignatus Cardinalis, ſed non publicatus: de hoc non meminit liber S.R.E. Cardinalium, nec in Pontificio Regiſtro extat memoria: fides erit penès Auctorem.



IN-

INNOCENTIVS OCTAVVS.

Ioannes Baptista Cibò Præsb. Cardinalis Tit. S.Cæciliæ die Dominica 29. Augusti inter horas XI., & XIV. anno 1484. in Vaticano Summus Pontifex renuntiatur: Die Dominica XII. mensis Septembris sequentis ad gradus Basilicæ B. Petri coronatur: obijt die 25 Iulij inter sextam, & septimam noctis horam anno 1492.

CREATIONES CARDINALIVM.

Die Lunæ 9. Martij anno 1489. creati sunt Cardinales: Ex Diario. Ciacconus refert creationem ad diem 14. Martij.

LAVRENTIVS CIBO IANVENSIS nepos ex fratre Pontificis, Archiepiscopus Beneuentanus Castellanus Sancti Angeli, Præsb. Tituli Sancti Susannæ, deindè Sanctæ Cæciliæ, ac Sancti Marci, Episcopus Venetensis, Albanus, Sabinus, Tusculanus, & demum Prænestinus: obiit Romæ 22. Decembris nocte antecedenti anno 1503.

ANDREAS SPINAY, Archiepiscopus Lugdunensis, & Burdigalensis, Præsb Tit. SS. Siluestri, & Martini in Montibus: obiit Lutetiæ Parisiorum die X. Nouembris 1507. Ciacconus hunc vocat Ludouicum: in Bullis Innocentii vocatur Andreas; fortè binominis erat.

AN-

ANTONIOTTVS GENTILIS PALLAVICINVS, Episcopus Auriensis, Datarius, Præsb. Tit. Sanctæ Anastasiæ, deindè Sanctæ Praxedis, ac Sancti Stephani in Coelio Monte, Archiepiscopus Ianuensis, Episcopus Lectenensis, Pampilonensis, Tornacensis, Cumanus Lamacensis, Albanus, Sabinus, ac Prænestinus, legatus de Latere ad Regem Galliarum Genuæ commorantem, ac in Vrbe Roma, eiusque districtu: obiit Romæ die x. Septembris 1507. hic se inscripsit Præsbyterum Cardinalem Sanctæ Anastasiæ octo diebus antequam illi Titulus fuisset assignatus, sed de licentia Summi Pontificis.

ARDICINVS DE LA PORTA iunior, Episcopus Aleriensis Presbyter Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli, Episcopus Olomucensis: obiit Romæ 4. Februarii 1493.

PETRVS AVBVSSONVS, Rhodiensium militum Magister, Diaconus Sancti Hadriani, in Insulis, Prouinciis & Regnis Plagæ Orientalis, & Vltramarinis Sedis Apostolicæ legatus. & Magni Magistri Titulo primum ab Innocentio inter Pontifices appellatus: obiit Rhodi die Lunæ 30. Iulii 1503. Ciacconus die 3. 1502.

IOANNES MEDICES FLORENTINVS Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica, posteà Leo X. hic in ætate inter decimum quartum, & decimumquintum annum ea conditione creatus est Cardinalis, vt per triennium se Cardinalem nominare non posset, nec se pro Cardinali haberi præsumeret, lapso autem tempore, etiam propria aucto-

rita-

ritate posset Cardinalatus insignia sumere: permansit itaque Protònotarius vsque ad diem nonam Martii, quo die in Monasterio Fesulano Cardinalatus insignia suscepit, & die 23. Martii eiusdem anni receptus fuit in Consistorio ab Innocentio Octauo.

Federicvs Sanseverinvs, electus Meleacensis Sancti Theodori Diaconus, postea Sancti Angeli in foro piscium, Episcopus Viennensis, Nouariensis, Morinensis, & Archiepiscopus Rothomagensis: die nona Decembris 1494. detentus fuit in Palatio Vaticano, eodem mense die 14. fuit liberatus, mense Octobris 1510. vnà cum aliis quatuor Cardinalibus, insalutato Pontifice, Genuam versùs abiit: die 30. Ianuarii 1512. à Iulio Secundo priuatur Cardinalatu, cum die 17. Iunii 1513. in Concilio Lateranensi, errorem suum fassus esset, absoluitur à Censuris, & in pristinum statum restituitur: die 25. Iunii 1515. iterùm in Palatio Apostolico detinetur, & sequenti die dimittitur: die 13. Decembris 1515. ad omnia bona, & Cardinalatus dignitatem per literas speciales à Leone restituitur: legatus in Prouincia Patrimonii B. Petri in Tuscia: decessit Romæ die Iouis 7. Augusti 1516. Ex Diario. Ciacconus anno 1517. Hic cum ab Innocentio rubrum Pileum obtinere nequiisset, die 26. Iulii 1492., sede vacante venit ad Vrbem, & à Sacro Collegio Cardinalium obtinuit Cardinalatus insignia, & locum in Consistorio virtute literarum Innocentii VIII. quæ vsque in illam diem cælatæ fuerant.

Maphevs Gerardvs, aliàs Matthæus ex ordine Camal-

dulensium; Patriarcha Venetiarum; Præsb. Tit. Sanctorum Sergii, & Bacchi, obiit Interamnæ die 14. Septembris 1492. incertum est an hic sciret se creatum fuisse Cardinalem ab Innocentio: sede vacante vocatus est ad Conclaue; in quod ingressus est die prima Augusti 1492.& inter Cardinales receptus est virtute literarum Innocentii, quæ tunc primum publicatæ fuerunt.

De præfatis octo Cardinalibus meminit Ciacconius in Vitis Pontificum; Alii scriptores mentionem fecerunt de subsequentibus vti Cardinalibus ab Innocentio creatis, qui tamen, viuente Innocentio, vel non fuerunt publicati, vel non fuerunt habiti pro Cardinalibus, si ab Innocentio fuerunt creati. hi sunt.

FEDERICVS IAGELLONIVS, Episcopus Cracouiensis Casimiri Regis Poloniæ filius, deindè Archiepiscopus Gesnensis: hunc creatum fuisse ab Innocentio affirmat Franciscus Maria Vialardus in vita Innocentii Octaui: Ab Alexandro Sexto inter Cardinales adnumeratus est, supplicante Rege Poloniæ ipsius fratre germano. vbi Vide.

N. Archiepiscopus Strigoniensis (teste eodem Vialardo) creatus est Cardinalis ab Innocentio: Archiepiscopum Strigonensem nomine Thomam in numerum Cardinalium retulit Alexander Sextus.

PANTALEO CIBO filius Christophori, qui erat frater Consobrinus Innocentii, huic datum esse Breue ad Cardinalatum videtur asserere idem Vialardus; quomodo res peracta sit, non explicat auctor, nec ego possum declarare, cum nihil de his Cardinalibus in

au-

authenticis documentis inuenerim.

Præter hos numeratur Nicolaus Cibò, Archiepiscopus Arelatensis: magnus Turcarum Tyrannus institit per literas ad Alexandrum Sextum, vt illum publicaret, & faceret perfectum Cardinalem, vt ipse loquitur, si tamen veræ sunt literæ Magni Turci ad Alexandrum Sextum, quas Bruccardus Magister Cæremoniarum inseruit in Diario.

HERMOLAVS BARBARVS Orator Reipublicæ Venetorum creatus ab Innocentio Octauo contrà patrias leges, quæ vetant legatos accipere à Principibus, ad quos missi sunt, dignitates, aut munera, vt refert Petrus Frizon in Gallia purpurata in Ioanne Cardinale sanctæ Sabinæ creato ab Alexandro Sexto.

ALEXANDER SEXTVS.

Rodericus Lenzolius Borgia Cardinalis Episcopus Portuensis, ac sanctæ Ruffinæ, sacri Collegij Decanus die Sabbati 11. Augusti 1492. Pontifex apud S. Petrum salutatur. Die 26. eiusdem mensis ad gradus Basilicæ B. Petri coronatur. Ex manuscr. Migrauit ad Dominum die 18. Augusti circà horam Vesperarum anno 1503. Alij Coronationis insignia suscepisse scribunt die 12. Septembris.



LEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Prioribus, & Communi Ciuitatis nostræ Interamnensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Saluator noster Dominus noster Iesus Christus, vt ab æterna morte liberaret humanum genus, mortalitatem nostræ Carnis assumpsit, sacrosanctamque Vniuersalem Ecclesiam, suâ passione fundatam in Terris, vsque ad consummationem sæculi perpetuari voluit, & gregis sui oues pascendas per variam successionem Pastorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam inuitarent, disposuit. Sanè cum fel. record. Innocentius Papa Octauus prædecessor noster septimo Calendas Augusti, sicut Domino placuit, ex hac mortali vita ad immortalem migrasset, post funeris ipsius, ac solemnium Exequiarum, vt moris est, celebrationem, Venerabiles Fratres no-

nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Palatio Apostolico apud Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis; in quo idem Prædecessor noster, dum viueret, habitabat, & cursum præsentis vitæ finierat, in Conclaui pro electione futuri Pontificis celebranda, modo, & tempore congruis in virtute Altissimi conuenerunt, vb variis consiliis, & maturis deliberationibus præhabitisi facta celebratione missæ in honorem Spiritus Sancti, post diligentem Tractatum pro vt tanta rei, quod nulla magis in Terris agitur, grauitas exigebat, tandem, prædicti Fratres, eius, qui inuocatus fuit, gratia, cordibus eorum infusa in alios maioribus meritis insignes conuenire potuissent certo tamen de iudicio, cuius consilia inscrutabilia sunt; Nos tunc Episcopum Portuensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium in sponsum, Pastoremque Ecclesiæ suæ Sanctæ tertio idus Augusti vnanimi voluntate, & concordia elegerunt. Quoniam verò, sicut Domino placuit, ità factum est, quamuis nos habere humeros imbecilles ad præferendum tantum onus, quantum est Vniuersalis Ecclesiæ Sarcina, sentiremus; tamen, ne reluctari voluntati diuinæ videretur, colla subiicimus, iugo Apostolicæ seruitutis, sperantes in eo, qui infirma eligit mundi, vt confundat fortia, cum Romanus Pontifex, licet ad ministerium hominum eligatur, ex cœlesti tamen inspiratione procedit, quod fragilitati nostræ robur suæ gratiæ inspirabit, & vires contrà hostes fidei suggeret, vt perfidi Turci non solùm à suis ausibus retrahantur, sed ope diuini auxilii præsidio nostro, ac Catholicorum Regum,

gum, & Principum penitùs conculcentur. Hanc autem assumptionem nostram ob vestram consolationem significandam duximus, deuotioni vestræ, quam pro sua in eamdem sanctam Romanam Ecclesiam fide, & obedientia inter peculiares Sedis Apostolicæ filios singulari charitate amplectimur, hortantes eamdem in Domino primò porrigi faciat preces solemnes ad Dominum Deum nostrum, vt nobis sua gratia assistat, vt nostræ humilitati gratiam tribuat, vt Ecclesiam suam ad gloriam, & honorem eius; & exaltationem fidei, & extirpationem hæresum, pacem, & quietem Populi Christiani feliciter in Domino gubernare valeamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo septimo Calendas Septembris Pontificatus nostri anno Primo.

F. de Castilione.

Visa R. Cabuso. Loco ✠ plumbi appensi.
A tergo. Dilectis filiis Prioribus, & Communi Ciuitatis nostræ Interamnæ.

CREA-

CREATIONES CARDINALIVM.

PRIMA CREATIO.

Die vltima Augusti anno 1492. Romæ.

IOANNES BORGIA VALENTINVS, Archiepiscopus Montis regalis, Nepos Pontificis ex Sorore Præsb Tit. Sanctæ Susannæ, Administrator Ecclesiarum Olumucensis, Baiocensis, Lombariensis, Ferrariensis, Cauriensis, ac Patriacha Constantinopolitanus, Legatus Neapolim ad coronandum Alphonsum Regem, illumque de Regno inuestiendum, decessit Romæ die prima Augusti 1503. Ex Bulla Iulii Secundi.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris 20. Septembris anno 1493. Romæ.

IOANNES MORTONIS ANGLICVS, Archiepiscopus Cantuariensis, Præsb. Tit. S. Anastasiæ obiit extrà Curiam 1500.

IOANNES ANTONIVS DE SANCTO GEORGIO, Episcopus Alexandrinus, Præsb. Sanctorum Nerei, & Achillei, Episcopus Parmensis, Tusculanus, Prænestinus, & demùm Sabinus, bis legatus in Vrbe, secunda vice creatus est à Iulio Secundo ea conditione, vt Cruce

non

non vteretur: decessit Romæ die Veneris 28. Martii 1509:

IOANNES DE LA GROLAYA GALLVS, Abbas Sancti Dionysii Parisiensis, orator Regis Francorum, Præsb. Tit. Sanctæ Sabinæ, Episcopus Lombariensis, Condomiensis, Viuariensis, obiit Romæ die Martis 6. Augusti 1499.

BERNARDINVS CARAVAIAL HISPANVS, Episcopus Carthaginensis, Orator Regis Hispaniarum, Præsb. Tit. SS. Marcellini, & Petri, deindè Sanctæ Crucis in Hierusalem, Commendator Ecclesiæ Sancti Marcelli, Episcopus Seguntinus, Fulginas, Albanus, Tusculanus, Prænestinus, Sabinus, Ostiensis, sacri Collegii Decanus, & Patriarcha Hierosolymitanus, legatus in Prouinciis Campaniæ, & Maritimæ, & ad Ferdinandum Regem Neapolis venientem ad Vrbem, legatus ad Maximilianum Regem Romanorum, & in Germaniam, & loca quæcumque, ad quæ proficisceretur; iterùm legatus ad eumdem Regem, dum Romam pro suscipienda Imperii corona venturus dicebatur.

AIMVNDVS PERAVLDI GALLVS, Episcopus Gurcensis, Præsb. Tit. Sanctæ Mariæ in Cosmedin, posteà Sancti Vitalis, ac Sanctæ Mariæ Nouæ, Episcopus Xantonensis, Coadiutor Episcopi Tullensis, eidem reseruata fuit, dum vacaret Ecclesia Bissuntina, & Metensis, legatus in Prouincia Patrimonii, & Vmbrię, decessit Viterbii die 5. Septembris 1505.

ÆSAR BORGIA Pontificis filius, electus Archiepiscopus Valentinus, Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ,

Ad-

Administrator Ecclesiæ Castrensis, Nannetensis, & Elnensis, legatus in Vrbeueteri, & ad coronandum Federicum Regem Neapolitanum, cessit Cardinalatui, vt Vxorem duceret die vltima Iulij 1498., concidit in Vasconia die 13. Aprilis 1507.

HIPPOLYTVS ESTENSIS, filius Ducis Ferrariæ, electus Agriensis, Diaconus tit. S.Luciæ in Silice, Administrator Ecclesiæ Strigoniensis, Agriensis, Mediolaniensis, Capuanæ, & Ferrariensis, obijt Ferrariæ die 3. Septembris anno 1520.

FRIDERICVS CASIMIRVS, Regis Poloniæ filius, electus Cracouiensis Diaconus Sanctæ Luciæ in septem solijs, Archiepiscopus Gnesnensis, obijt in Polonia die 21. Martij 1503. Auctor Vitæ Innocentij Octaui affirmat fuisse creatum Cardinalem ab Innocentio. Si fuit creatus, non tamen fuit publicatus, & in manuscripto legitur fuisse ab Alexandro Sexto creatus die prima Augusti, & forte hac die 20. Septembris fuit publicatus, quo die Matthias de Michouia tunc viuens creatum affirmat in Chronico Rerum Polonicorum lib.4. cap.77.

IVLIANVS CÆSARINVS ROMANVS Protonotarius Apostolicus Diaconus Sanctorum Sergij, & Bacchi, posteà Sancti Angeli, Episcopus Asculanus, obijt Romæ die prima Maij 1510.

DOMINICVS GRIMANVS, Ducis Venetiarum filius, Protonotarius Apostolicus Diaconus S. Nicolai inter Imagines, posteà Presbyter eiusdem Ecclesiæ, ac S.Marci, Episcopus Albanus, ac Portuensis, & Patriarcha Aquileiensis, obiit Romæ die 27. Augusti 1523

Alexander Farnesius Romanus Protonotarius Apostolicus, Diaconus SS. Cosmæ, & Damiani, postea Commendator Ecclesiæ S. Eustachij, Episcopus Parmensis Montisflasconensis, ac Cornetanus, Tusculanus, Prænestinus, Sabinus, Ostiensis, & demùm Pontifex Maximus, legatus in Marchia, in Patrimonio, ad Cæsarem 1518, ad quem ob aduersam valetudinem proficisci non potuit, iterumque legatus ad Cæsarem venientem in Italiam anno 1529., & ad Hadrianum Sextum venientem ad Vrbem.

Bernardinus de Lunate Papiensis, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sancti Cyriaci in Thermis Administrator Ecclesiæ Aquinatensis, legatus in Exercitu Ecclesiastico contrà Vrsinos: cum anno 1494. fuisset retentus in Palatio Apostolico paulò post anno sequenti recessit ab Vrbe cum Cardinali Ascanio Maria Sfortia, Pontifice non salutato, obiit Romæ die 8. Augusti 1497.

Aloysius, seu Ludovicus de Aragonia, filius Regis Ferdinandi primi, Marchio Hieracensis (licet matrimonium contraxisset cum Baptistina Cibò sub Innocentio VIII.) creatur, & reseruatur in pectore, charattere clericali insignitur, & deindè publicatur anno 1497. Diaconus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, vt in Diario: obiit Romæ Episcopus Auersanus, & Legionensis die 22. Ianuarii 1519. Ciacconus vocat Diaconum Sanctæ Mariæ in Aquiro, & asserit publicatum 1496., & obiisse anno 1518.

TER-

TERTIA CREATIO.

Die Veneris 16. Ianuarij 1495. Romæ.

GVILLELMVS BRISSONETTA GALLVS, Episcopus Maclouiensis, Præsb. Sanctæ Pudentianæ, presente Carolo Rege Francorum, Archiepiscopus Remensis, & Harborensis Episcopus, Nemausensis, Albanus, Tusculanus, Prænestinus, priuatus Cardinalatu die 24. Octobris anno 1511., ex quo post recessum à Pontifice, cum Conciliabulum Pisanum indixisset: restitutus est à Leone X. die 7. Aprilis 1514, obiit in Gallia die 14. Decembris 1515. in manuscriptis. Ciacconus mense Ianuarij 1515.

QVARTA CREATIO.

Die 21. Ianuarij 1495. in festo S. Agnetis Romæ.

PHILIPPVS DE LVCEMBVRGO, Gallus, Episcopus Cenomanensis frater Consobrinus Caroli Regis Franciæ, quo istante, creatus est Præsbyter Tit. SS. Petri, & Marcellini. Ex Bulla eiusdem Alexandri, & Diario: Episcopus Morinensis, Albanus, & Tusculanus. Decessit Cenomani die 2. Iunii 1519. Hunc Ciacconus asserit creatum die 27. Decembris 1497.

QVINTA CREATIO.

Die 19. Februarij anno 1496. apud Sanctum Petrum. Ex Bulla Alexandri:

Creati sunt quatuor infrascripti Cardinales, quos Pontifex reseruauit in pectore, & decreuit sub excommunicationis pœna, ac priuatione vocis actiuæ, & passiuæ ad electionem Romani Pontificis, vt, si ipsum mori contigeret, antequam præfati Cardinalis nouissimè creati insignia Cardinalatus recepissent, Cardinales tenerentur eos recipere. & admittere, vti Cardinales possent auctoritate propria Cardinalatus insignia suscipere; eaque exercere, & tenere sine alia noui Pontificis concessione, & mandat Episcopis &c. vt hæc publicent, & exequantur &c. die 24. Februarij quatuor Cardinales recepti sunt in publico Concistorio, hi sunt.

BARTHOLOMÆVS MARTINI HISPANVS, Episcopus Segobiensis, Magister Domus Sac. Palatii Præsb. Tit. S. Agathæ, administrator Ecclesiæ Balneoregiensis, & Coepiscopus Tullensis. Obiit Romæ die 25. Aprilis 1500. vt in Diario. Ciacconus die 25. Ianuarii.

IOANNES DE CASTRO HISPANVS, Præfectus Arcis Sancti Angeli, Episcopus Agrigentinus Præsb. Tit. Sanctæ Priscæ, Administrator Ecclesiæ Sleuicensis: mortuus est Romæ die 2. Octobris 1506., vt in manuscriptis. Ciacconus in prima Impressione vocat Iordanum de Castro, & scribit obijsse die 29. Septem-

tembris eiusdem anni.

IOANNES LOPEZ HISPANVS, Episcopus Perusinus, Pontificis Datarius, Præsb. Tit. S. Mariæ Transtyberim, Administrator Ecclesiæ Capuanæ, Carcassonensis, & Cauriensis, obiit Romæ die 5. Augusti anno 1501.

IOANNES BORGIA VALENTINVS, Protonotarius Apostolicus, Nepos Pontificis, Diac. Sanctæ Mariæ in Via lata, Archiepiscopus Capuanus, legatus in Vmbria, in Ciuitate Bononiæ, Exarchatu Rauennæ, & Romandiolæ: Ad Ducem Venetorum, & totius Christianitatis, obiit Forosempionii ex morbillis, vel, vt alii tradunt, veneno die 17. Ianuarij 1500.

SEXTA CREATIO.

Die Mercurij 12. Septembris anno 1498.

GEORGIVS DE AMBOSIA GALLVS, Archiepiscopus Rothomagensis, Præsbyter Tit. Sancti Xixti; legatus Auenionensis, ac in Gallia, & ad Reges Francorum, Castellæ, & Legionis, decessit Lugduni die 25. Maij 1511.

SEPTIMA CREATIO.

Die Lunæ 16. Martij anno 1500. Romæ. Ex Diario: Ciacconus die 20. Martij creati sunt Cardinales, sed non publicati, nisi in proxima creatione die 28. Septembris.

DIDACVS HVRTADO DE MENDOZA Archiepiscopus Hispalensis, & Patriarcha Alexandrinus, Præsb. Tit. Sanctæ Sabinæ, decessit die 14. Octobris 1502.

AMANEVS DALBRETIVS Sororis Cæsaris Ducis Valentini filius Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Episcopus Conuenarum, administrator Ecclesiarum Pampilonensis, Condonicensis, Olorensis, Apamearum, Venetensis, Vasatensis, & Lascurensis, mortuus est in Castro Belgioioso die x. Decembris 1520.

LVDOVICVS, SEV PETRVS LVDOVICVS BORGIA, Protonotarius Apostolicus, & electus Valentinus Diaconus sanctæ Mariæ in Via lata, postea Præsb. Tit. Sancti Marcelli, decessit ex equo præceps Romam adueniens ex Ciuitate Neapolitana, ad quam se contulerat initio Pontificatus Iulii, Iulio inscio, die 4. Octobris 1511.

OCTA-

OCTAVA CREATIO.

Die 28 Septembris anno 1500.

IACOBVS SERRA CATALANVS, Archiepiſcopus Arborenſis, Papæ Vicarius, Presb. Tit. Sancti Vitalis, poſteà Sancti Clementis; Adminiſtrator Eccleſiæ Elnenſis, & Licopienſis, legatus in Vmbria, Epiſcopus Albanus, Tuſculanus, & Prænestinus. Nuntiatum eſt Romæ vitam cum morte commutaſſe die 15. Martii 1517. Hunc Ciacconus vocat Iacobum Caſanouam; qui tamen Iacobus Caſanoua creatus eſt in vltima creatione, vt infrà ſubiiciam.

THOMAS BACOCIVS HVNGARVS, Archiepſcopus Strigonienſis, Conſtantinopolitanus legatus ad Hungariæ, Boemiæ, Poloniæ, Daciæ, Noruergiæ, & Scotiæ Regna, necnon in Pruſsiam, Ruſsiam, Liuoniam, Lithuaniam Valachiam, Sleſiam, Luſatiam, Morauiam, Tranſiluaniam, Sclauoniam, Dalmatiam, Croatiam, & Moſchouiam, Obiit in Hungaria die 11. Iunii 1521. ex manuſcr. Ciaccon. 1523.

PETRVS ISVALLIA SICVLVS, Archiepiſcopus Reginus Gubernator Vrbis, Præsb. Tit. Sancti Cyriaci in Thermis, Commendator Eccleſiæ ſanctæ Pudentianæ, legatus Bononiæ, ac Romandiolæ, & ad Regna Hungariæ, Boemiæ, ac Poloniæ, obiit die 23. Septembris 1511.

FRANCISCVS BORGIA CORDADOR, Archiepiſcopus Cuſentinus, Papæ Theſaurarius, Præsb. Tit. Sanctæ Luciæ,

ciæ, posteà Sanctorum Nerei, & Achillei, Episcopus Theanensis, legatus in Campania, & maritima, & pro associanda Lucretia Pontificis filia proficiscente Ferrariam, priuatur Cardinalitia dignitate à Iulio Secundo vnà cum aliis Cardinalibus, qui, insalutato Pontifice, recesserant vt Conciliabulum Pisanum indicerent die 24. Octobris 1511. obiit in Regis lepido eodem anno 1511: post obitum à Leone X. absolutus est à Censuris: in Diario non apponitur dies obitus: in manuscripto de Cardinalibus asseritur obiisse die 11. Nouembris: apud Ciacconum die 4. Nouembris.

IOANNES VERA, Archiepiscopus Salernitanus Præsb. Tit. Sanctæ Balbinæ, legatus in Marchia, & in Gallia, decessit Romæ die Martis 4. Maii 1507. in eodem M.S. alibi tamen legitur die 21. Iulii 1506 fortè per errorem Amanuensis.

LVDOVICVS PODACHATARVS, Episcopus Caputaquensis Cyprius, Papæ Secretarius Præsb. Tit. Sanctæ Agathæ, posteà Beneuentanus, obiit Romæ die 25. Augusti 1504. circà horam 12, Ex Diario. Ciacconus die 25. Iulii.

ANTONIVS TRIVVLTIVS MEDIOLANENSIS, Episcopus Cumanus, Rotæ Locumtenens, Præsb. Tit. Sanctæ Anastasiæ, posteà Sancti Stephani in monte coelio; obiit Romæ die Veneris 16. Martii hora quarta noctis sequentis anno 1508.

IOANNES BAPTISTA DE FERRARIIS, Episcopus Mutinensis, Papæ Datarius, Præsb. Tit. S. Chrysogoni, Archiepiscopus Capuanus, decessit Romæ ex veneno

die

die 20. Iulij circà horam duodecimam 1502. ex Diario, Ciacconus die 27. Iulij.

MARCVS CORNELIVS VENETVS, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sanctæ Mariæ in Porticu, deinde Sanctæ Mariæ in Via lata, Administrator Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus Veronensis, & Patauinus, legatus in Patrimonio Beati Petri in Tuscia; obijt Venetijs die 26. Iulij ante diem 1524. Ex Diario. Ciacconus modo 1523. modo die 20. Iulij.

IOANNES STEPHANVS FERRERIVS ex oppido Biella Vercellensis Diœcesis, Episcopus Bononiensis, Rotæ Locumtenens, reseruatus in pectore, quem Pontifex extrà Consistorium die 28. Iunii 1502., vocatis ad se Cardinalibus, antequàm in publicum exiret ad Vesperas publicauit Presbyterum Tit. Sancti Vitalis. Ex Diario: posteà Sanctorum Sergij, & Bacchi; Episcopus Vercellensis, & Hipporeliensis, decessit Romæ die Martis XIII. Octobris anno 1510. Ciacconus publicationem ponit pro creatione, nec meminit diei, quo fuit creatus, seu publicatus.

NONA CREATIO.

Die xxx. Maij anno 1503. Romæ.

IOANNES CASTELLAR HISPANVS, Archiepiſcopus Tranenſis, Præsb. Tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, Epiſcopus Olorenſis, Archiepiſcopus Montisregalis, obijt Valentiæ die prima Ianuarij 1505.

FRANCISCVS REMOLINVS VALENTINVS, Archiepiſcopus Surrentinus, Gubernator Vrbis, vxore viuente, creatus Præsb. Tit. Sanctorum Ioannis, & Pauli, poſteà Sancti Marcelli, Epiſcopus Firmanus, & Albanus, adminiſtrator Eccleſiæ Peruſinæ, Archiepiſcopus Panormitanus, deceſſit Romæ die Veneris 5. Februarij 1518.

FRANCISCVS SODERINVS FLORENTINVS, Epiſcopus Volaterranus, Præsb. Tit. Sanctæ Suſannæ, deindè Baſilicæ duodecim Sanctorum Apoſtolorum, Epiſcopus Anagninus, Xantonenſis, Vicentinus, Narnienſis, Sabinus, Albanus, Præneſtinus, Portuenſis, & Oſtienſis, legatus in Vrbe, obijt Romæ die 17. Maij 1524.

MELCHIOR COPIS GERMANVS, Epiſcopus Brixinenſis, Præsb. Tit. Sancti Nicolai inter Imagines, deinde Sancti Stephani in Cœlio monte, obijt Romæ die Sabbati ſecunda menſis Maij 1509.

NICOLAVS DE FLISCO IANVENSIS, Epiſcopus Foroiulienſis, Præsb. Tit. Sanctæ Luciæ in ſeptem ſolijs, deinde Sanctæ Priſcæ; Ex Bulla Iulii Secundi, Ar-

chiepiſcopus Ebredunenſis, & Rauennas, Epiſcopus Albanus Portuenſis, & Oſtienſis; Ciacconus affirmat ſuiſſe creatum cum Tit. Sancti Nicolai inter Imagines, & deinde translatum ad Baſilicam XII. Apoſtolorum, ac ſuiſſe Epiſcopum Sabinum: obiit Romæ die Martis 14. Iunii ante diem 1524. Ex Diario.

FRANCISCVS DE SPRATS HISPANVS, Epiſcopus Legionenſis, Præsb. Tit, SS. Sergii, & Bacchi, obiit Romæ die 9. Septembris 1504. ex Diario.

HADRIANVS CASTELLENSIS CORNETANVS, Epiſcopus Bathonenſis, Præsb. Tit. Sancti Chryſogoni die Dominica 21. Iulii 1517. receſſit ab Vrbe, venia non petita, ſicut bis receſſerat Iulio Secundo Pontifice; à Leone Decimo poſt aliquos menſes priuatur Cardinalatu, ex quo vocatu, ad Vrbem non venit, & ob maledicta, & conſpirationem in ipſum Leonem die ſexta Iulii 1508, quo tempore obierit incertum. die 16. Ianuarii 1526. iam fato ceſſerat:

IACOBVS CASANOVA VALENTINVS, Protonotarius Apoſtolicus, & Papæ Cubicularius, Præsb. Tit. Sancti Stephani in Coelio Monte, obiit Romæ die 4. Iunii 1504.

FRANCISCVS ILORIS VALENTINVS, electus Eluenſis, Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ: Epiſcopus Valentinus; & Dienſis, ac Patriarcha Conſtantinopolitanus; obiit Romæ die 22. Iulii 1506. ex Diario. Ciacconus 1505.

In ſecunda editione Ciacconi Ioannes è Saxoniæ Ducibus miſſus orator ad Rom. Pontificẽ Cardinalitia digni-

gnitate donatus asseritur cum Titulo Sanctæ Crucis, & paulò post decessisse: Mentio huius Cardinalis non reperitur in Diariis, ac aliis documentis, fides erit penes Auctorem.

Insuper Petrus Ciera Venetus ab eodem Alexandro per literas in Cardinalem approbatus enuntiatur; cum literæ fuerint secretæ, & in iis enuntietur in Cardinalem approbatus; cum non dicatur creatus, aut publicatus, expectabo, donec creetur, & publicetur, quia nullum extat ex approbatis pro huiusmodi Petro documentum.



PIVS

PIVS TERTIVS.

Franciſcus Piccolomineus, Prior Diaconorum Cardinalis Sancti Euſtachij ad Pantheon creatur Summus Pontifex die Veneris 22. Septembris anno 1503. in Vaticano: coronatur in Lateranenſi Baſilica die 8. Octobris circà horam decimam noctis ſequentis eodem anno: regnauit diebus viginti ſex, Cardinales non treauit.




IV-

IVLIVS SECVNDVS.

Iulianus de Ruuere Tit. Sancti Petri ad Vincula, Episcopus Ostiensis renuntiatur Summus Pontifex die prima Nouembris anno 1503. die 26. eiusdem mensis, eodem anno ad Basilicam Beati Petri coronatur: migrauit ad Dominum die 20. nocte sequenti hora decima mense Februario anno 1513.

De electione sua ad Regem Poloniæ Alexandrum.



VLIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Alexandro Poloniæ Regi Illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Saluator noster Dominus Iesus Christus, vt ab æterna morte liberaret humanum genus mortalitatem nostræ carnis assumpsit, sacrosanctamque vniuersalem Ecclesiam sua passione fundatam in Terris vsque ad consummationem sæculi perpetuari voluit, & gregis sui oues pascendas per variam successionem Pastorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam inuitarent, disposuit: sanè cum fel. recordat: Pius Tertius prædecessor noster quinto decimo Kal. Nouembris, sicut Domino placuit, ex hac mortali vita ad immortalitatem migrasset, post funeris ipsius, ac solemnium exequiarum, vt moris est, celebrationem, Venerabiles fratres Nostri San-

ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Palatio Apostolico apud Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis, in quo idem prædecessor, dum viueret habitabat, & Cursum præsentis vitæ finierat, in Conclaui pro electione futuri Pontificis celebranda modo, & tempore congruis in virtute Altissimi conuenirent, vbi variis consiliis, & maturis deliberationibus præhabitis, facta celebratione missæ in honorem Spiritus Sancti, post diligentem tractatum, prout tantæ rei, quæ nulla maior in terris agitur, grauitas exigebat, tandem eius, qui inuocatus fuit gratia cordibus eorum infusa, licet in alios maioribus meritis insignis conuenire potuissent, certo tamen Dei iudicio, cuius consilia inscrutabilia sunt, Nos tunc Episcopum Ostiensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem in sponsum, Pastoremque Ecclesiæ suæ Sanctæ die prima Nouembris 1503. vnanimi voluntate, & concordia elegerunt; quoniam verò, sicut Domino placuit, ita factum est, quamuis nos habere humeros imbecilles ad perferendum tantum onus, quantum est vniuersalis Ecclesiæ sarcina, sentiremus, ne tamen reluctare voluntati Dei videremur, colla subiicimus iugo Apostolicæ seruitutis, sperantes in eo, qui infirma eligit mundi, vt confundat fortia; cum Romanus Pontifex, licet per ministerium hominum eligatur, ex cœlesti tamen inspiratione procedat, quod fragilitati nostræ robur suæ gratiæ inspirabit, & vires contrà hostes fidei suggeret, vt perfidi Turci, non solùm à suis ausibus retrahantem, sed ope diuini auxilii, & præsidio nostro, ac Catholicorum Regum, & Principum

cipum

cipum penitùs conculcentur; Hanc autem assumptionem nostram ad tuam consolationem tibi significandam duximus, quem, vt nostrum, & Ecclesiæ filium singulari caritate complectimur, hortantes Maiestatem tuam in Domino vt porrigi facias præces solemnes ad Dominum Deum nostrum, vt nobis sua gratia assistat, & nostræ humilitati gratiam tribuat, vt Ecclesiam suam sanctam ad gloriam, & honorem eius, ac exaltationem fidei, extirpationem hæresum, pacem, & quietem Populi Christiani feliciter in Domino gubernare valeamus; Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio, sexto Kalen. Decembris Pontificatus nostri anno Primo.

Ioannes de Fulgineo.

In eumdem modum scripserunt Cardinales Episcopi, Præsbyteri, & Diaconi, & eorum nomine capita ordinum. Datum Romæ sub sigillo trium in ordine Priorum Kalendas Ianuarii 1504.

Hen. Tarentinus

Episcopi.
Præsbyteri. } S. R. E. Cardinales
Diaconi.

In

In eumdem modum Iulius Secundus ſcripſit ad Eraſmum Epiſcopum Plocen: D. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1503. ſexto Calendas Decembris, Pontificatus anno primo.

CREATIONES CARDINALIVM

PRIMA CREATIO.

Die Mercurij 29. Nouembris anno 1503. apud Vaticanum.

FRANCISCVS GVILLELMVS DE CLARAMONTE GALLVS, Archiepiſcopus Narbonenſis, Præsb. Tit. Sancti Hadriani, quem die 8. Decembris 1503. erexit in Præsbyteralem, deindè Sancti Stephani in Monte Coelio, Archiepiſcopus Auxitanus, Adminiſtrator Eccleſiæ Senecenſis, & Epiſcopus Tuſculanus, Legatus Auenionenſis; detentus in Caſtro Sancti Angeli, cum denegata licentia recederet in Galliam. obiit Auenione anno 1541. Nuntius de ipſius morte allatus eſt Romam die 13. Martii.

IOANNES DE ESTVNICA HISPANVS, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Præsb. SS. Nerei, & Achillei, deceſſit in oppido Guadalupæ die 27. Iulij 1504. die 21. nunciatus eſt Romæ ipſius obitus ex Diario. Ciaccon affirmat obijſſe die 14. Auguſti.

CLEMENS GROSSVS DE RVVERE Nepos Iulij ex Sorore, Epiſcopus Mimatenſis, Præsb. Baſilicæ XII. Apoſ-

tolorum, obijt Romæ die 13. Augusti nocte antecedente 1504. vt in Breui Iulij II., & Diario. In Ciaccono legitur die 15. Augusti, qui pariter eidem attribuit Titulum Sancti Clementis: in Diario tamen attribuitur illi pro primo Titulo Basilica XII. Apostolorum, & cum hac denominatione decessisse affirmatur, non sine suspicione veneni.

GALEOTTVS FRANCIOTTVS DE RVVERE LVCENSIS Nepos Pontificis ex Sorore, Præsb. Tit. Sancti Petri ad vincula, Episcopus Lucanus, Administrator Ecclesiæ Cremonensis, & Vicentinæ, Archiepiscopus Beneuentanus, Legatus Bononiæ, & Vicecancellarius, obiit Romæ die XI. Septembris 1508.

SECVNDA CREATIO.

Die Lunæ prima Decembris anno 1505. creati, sed publicati die Veneris XII. ex Bullis, & Breuibus, & Diario; Ciacconus asserit creatos mense Februario 1505. & diem creationis omittit.

CAROLVS DE CARRETO EX MARCHIONIBVS DE FINALI, electus Trebanus, Præsb. Tit. SS. Viti, & Modesti in Macello Martyrum, Archiepiscopus Rhemensis, Turonensis, deindè Præsb. Tit. S. Cæciliæ, obijt Romæ die Martis 15. Augusti 1514. hic in Bulla Iulij enuntiatur Diaconus SS. Viti, & Modesti. At in Breui eiusdem Iulij, quo Cardinalium creatio Regi Francorum significatur, primo loco ponitur Caro-

rolus, vti Archiepiſcopus Thebanus, ex quo licet arguere illum fuiſſe inter Cardinales Præsbyteros adſcriptum, cum primo loco inter Præsbyteros collocetur. Fateor tamen potuiſſe Pontificem in creatione illum inter Præsbyteros adſcripſiſſe, & deindè pænituiſſe, & collocaſſe inter Diaconos, quia in Bullis anno 1507., & 1509. expeditis Diaconus enunciatur.

FR. MARCVS VIGERIVS SAONENSIS ex ordine Minorum Epiſcopus Senogallienſis, Præfectus Caſtri Sancti Angeli in Vrbe, Præsbyter Tituli Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, Epiſcopus Præneſtinus, Legatus Exercitus Eccleſiaſtici pro recuperatione Ducatus Ferrariæ, obijt Romæ die 18. Iulij 1516.

LEONARDVS GROSSVS DE RVVERE SAONENSIS Iulij II. ex Sorore Nepos, Epiſcopus Agennenſis, Præsb. Baſilicæ XII. Apoſtolorum, deindè Sancti Petri ad Vincula, maior Pœnitentiarius, Legatus in Patrimonio B.Petri in Tuſcia, obiit Romæ die Iouis 27. Septembris anno 1520. Ciacconus attribuit eidem Titulum Sanctæ Suſannæ pro Baſilica XII. Apoſtolorum.

ROBERTVS DE CHALANCH GALLVS, Epiſcopus Redonenſis, Orator Regis Francorum, Præsb. Tit Sanctæ Anaſtaſiæ, obiit Romæ die 9. Nouembris 1513. ex manuſcr. Ciaccon. die 9. Septembris.

ANTONIVS FERRERIVS SAONENSIS, Magiſter Domus Pontificiæ, Epiſcopus Eugubinus, Præsb. Tit. S. Vitalis, Epiſcopus, & Legatus Peruſii, Legatus inſuper Bononiæ, obiit Romæ 23. Iulii 1508., & de-

mandato Pontificis omni funeris honore caruit.

FRANCISCVS ALIDOSIVS, Episcopus Papiensis, & Thesaurarius generalis, Præsb. Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, deindè Sanctæ Cæciliæ, Episcopus Bononiensis, Legatus Bononiæ, & Patrimonii, ac ad Regem Galliarum in Italia commorantem, interemptus est Rauennæ die 24. Maii 1511.

GABRIEL DE GABRIELIBVS DE FANO, Episcopus Vrbeuetanns Secretarius Pontificis, Præsb Tit. Sanctæ Agathæ, deindè Commendator Ecclesiæ Sanctæ Praxedis, obiit Romæ die Mercurii 5. Nouembris 1511.

FATIVS SANCTORIVS DE VITERBO, Episcopus Cæsenatensis, Datarius Papæ, Præsb. Tit. Sanctæ Sabinæ, & Episcopus Pampilonensis, obiit Romæ die Veneris 22. Martii 1510.

SIGISMVNDVS GONZAGA Germanus Marchionis Mantuæ, Protonotarius Apostolicus Diaconus Sanctæ Mariænouæ, Legatus in Prouincia Marchiæ, ac in Marchionatu Mantuæ, obiit Mantuæ die 4. Octobris 1525.

TER-

TERTIA CREATIO.

Die Lunæ 4. Ianuarij anno 1507. Bononiæ secreto adscripsit quatuor inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tres Gallos, & vnum Hispanum, quos Romæ publicauit eodem anno die 17. Maij. Ciaccon. creatos asserit anno 1506.

IOANNES FRANCISCVS DELLA TREMOGLIA GALLVS, Episcopus Pictauensis, Archiepiscopus Auxitanus, obiit Mediolani 20. Iulii 1507. Hic in Diario vocatur Franciscus; In Bulla verò Iulii II. Ioannes: erat forte binominis.

REGINALDVS, SEV RENATVS DE PRIE, Episcopus Baiocensis, Præsb. Tit. Sanctæ Luciæ in septem soliis, deinde Sancti Vitalis, Cardinalitia dignitate priuatus à Iulio die 24. Octobris 1511. inter causas priuationis recensetur, discessus à Curia sine licentia Pontificis; promiserat enim Renatus, seque iuramento obstrinxerat de non recedendo sub pœna priuationis omnium dignitatum etiam Cardinalatus: restitutus fuit à Leone X. ad Cardinalatum: obiit in Galliis die 9. Septembris anno 1516. vt in Gallia Christiana legitur. Ciacconus refert obitum ad mensem Augusti Huic attributus fuit in creatione Titulus Sanctæ Luciæ, sed in aperitione oris datus est Titulus Sancti Vitalis.

LVDOVICVS DE AMBOSIA, Episcopus Albiensis, Præsb. Sanctorum Petri, & Marcellini, obiit Anconæ die

17. Septembris 1510. Hic cum venisset Viterbium, vbi Iulius morabatur mense Octobris 1509. iamque paratum esset publicum Consistorium pro eo recipiendo, superuenit Nuntius, quod Rex Galliarum nonnullos redditus Ecclesiasticos qui ad S. R. E. Cardinales spectabant, posuerat sub sequestro, ideoque Pontifex noluit illum recipere, nec recepit, nisi priùs accepto Nuntio de reuocatione sequestri.

FR. FRANCISCVS XIMENEZ HISPANVS ex ordine Minorum, Archiepiscopus Toletanus, Præsbyter Tit. Sanctæ Sabinæ; obiit in Haranda die 8. Nouembris 1510.

QVARTA CREATIO.

Die Lunæ xi. Septembris anno 1508, eo scilicet die, quo Galeottus Cardinalis ipsius ex matre frater mortalitatem exuit, creatus est, & die 15. in secreto Consistorio publicatus, & post secretum receptus est in publico Consistorio.

SIXTVS DE RVVERE Pontificis nepos ex Luchina Sorore, Prior Vrbis, Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, Præsb. Tit. Sancti Petri ad Vincula, inter Cardinales Præsbyteros receptus est in publico Consistorio, licet sacris ordinibus non esset initiatus; Episcopus Lucensis Archiepiscopus Beneuentanus S. R. E. Vicecancellarius. obiit Romæ die Dominica

8. Mar-

8. Martii 1517. Ciacconus de publicatione non meminit.

QVINTA CREATIO.

Die X. Martij anno 1511. Rauennæ; de die Ciacconus non meminit.

CHRISTOPHORVS ANGLVS, Archiepiſcopus Eboracenſis Orator Regis Angliæ, Præsb. Tit. Sanctorum Petri, & Marcellini, deindè Sanctæ Praxedis, legatus in Angliam, ac in exercitu Pontificio contrà Regem, Galliarum, Obiit, vt ipſe aiebat veneno Romæ die Iouis 14. Iulij nocte ſubſequenti anno 1514. Hunc licet tempore poſteriorem Archiepiſcopum, prætulit Iulius Sipontino in gratiam Regis Angliæ.

ANTONIVS DE MONTE SANCTI SABINI, Archiepiſcopus Sipontinus, Auditor Cameræ Apoſtolicæ, ac Rotæ, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, Epiſcopus Papienſis, & Nouarienſis legatus in Vmbria, ac in Vrbe, Epiſcopus Albanus, Prænestinus Tuſculanus, ac Portuenſis: obiit Romæ die 20. Septembris 1533.

MATTHÆVS SCHINER HELVETIVS, Epiſcopus Sedunenſis, Præsb. Tit. S. Pudentianæ legatus ad Maximilianum Imperatorem, vniuerſamque Germaniam, ac in exercitu Pontificio contrà Gallos, obiit Romæ die Iouis 2. Decembris 1522.

PETRVS DE ACCOLTIS TVSCVS, Epiſcopus Anconitanus, Au-

Auditor Rotæ, ac Papæ Vicarius, signator supplicationum, Præsb. Tit. S. Eusebii, Episcopus Gadicensis, Albanus, Sabinus, ac etiam (teste Ciaccono) Maleacensis, Attrebatensis, Cremonensis, & Prænestinus, obiit Romæ die XII. Decembris 1532.

ACHILLES DE GRASSIS BONONIENSIS ex Auditore Rotæ, Episcopus Ciuitatis Castelli, ac Assistens, Præsb. Tit. Sancti Xisti, deinde Sanctæ Mariæ Transtiberim Episcopus Bononiensis: hic anno 1507. legatus fuit ad Regem Galliarum, ne Bentiuolos Ciues Bononienses sub regia protectione susciperet: Obiit Romæ die Dominica 22. Nouembris 1523.

BANTINELLVS SACCHVS electus Ianuensis, Secretarius Papæ Præsb. Tit. Sancti Hadriani, postea S. Sabinæ, priuatus à Leone die 20. Iunii 1517., vti conscius conspirationis in Pontificem, & ab eodem restitutus ad Cardinalitiam dignitatem, & beneficia, aliis non collata die vltima Iulii eodem anno, obiit Romæ die 29. Martii 1518. ex Diario. Ciacconus die 24. Martii: hic à Iulio II. fuit nominatus, vt de consensu Cardinalium eligeretur Cardinalis in secunda creatione, sed sacrum Collegium tunc assensum præstare recusauit.

ALPHONSVS FILIVS PETRVCCII Primatis Senensis electus Suanensis, Diac. sancti Theodori, priuatus à Leone Decimo, vti conspirationis in ipsum Pontificem Author die 20. Iunii, & die sexta Iulii interemptus in Castro sancti Angeli.

FRANCISCVS ARGENTINVS Episcopus Concordiensis, &

& Papæ Datarius, Præsb. Tit S. Clementis. decessit die Sabbati 23. Augusti 1511. Ciacconus illi attribuit Titulum sancti Vitalis, vti datum initio suæ creationis. in Diario vnicus Sancti Clementis Titulus vsque ad obitum eidem attribuitur.

SEXTA CREATIO.

MATTHÆVS LANGIVS GERMANVS, Gurcensis Episcopus, & Cæsaris orator, & Locumtenens Bononiæ, secreto adscriptus fuit inter Cardinales anno 1511. Die Iouis 18. Decembris eodem anno in secreto Consistorio fuit publicatus cum Titulo sancti Angeli, & eidem dictum, vt posset deferre birettum rubrum, sed ipse noluit tunc publicari, nec vestes Cardinalitias deferre. Regnante Leone Decimo die 20. Nouembris 1513. reuersus est in Vrbem: recusabat à Leone recipere pileum, cum diceret illud à Iulio sibi missum recepisse, quod tamen solemni ritu non fuerat eius Capiti impositum Magister Cæremoniarum se opposuit, conclusum fuit, vt capiti ipsius Pileus imponeretur, prout fuit impositus coram duodecim Cardinalibus nocte antecedenti ad publicum Consistorium, in quo die sequenti receptus fuit. Cardinalibus ab eodem Leone creatis, & publicatis præferri petiit; Magister Cæremoniarum petitioni se opponebat: in serie Cardinalium Matthæus inter Diaconos adnumeratur; decessit in Germania Archiepiscopus Salisburgensis die 30. Martii 1540.

LEO DECIMVS.

Ioannes de Medicis Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconus renuntiatus est Summus Pontifex die Veneris xi. Martij anno 1513. coronatur ad gradus Basilicæ B. Petri die 19. eiusdem mensis, die xi. Aprilis (eadem, scilicet die, qua fuerat captus à Gallis) ad Basilicam Lateranensem solemni Pompa equitauit: migrauit ad Dominum Romæ die prima Decembris anno 1521. circà quartam noctis horam Ex Diario, & manuscr. Ciaccon. scribit creatum die 19. Martij, & coronatum post mensem Laterani die xi. Aprilis.



LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filiis Communitati Ciuitatis nostræ Interamnen. salutem, & Apostolicam benedictionem.

Saluator noster Dominus Iesus Christus, vt ab æterna morte liberaret humanum genus, mortalitatem nostræ carnis assumpsit, Sacrosanctamque vniuersalem Ecclesiam sua passione fundatam in Terris vsque ad consumationem sæculi perpetuari voluit, & gregis sui oues pascendas per variam successionem Pastorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam immitterent disposuit. Sanè cum fel. rec. Iulius Papa Secundus Prædecessor noster 11. Februarii, sicut Domino placuit ex hac mortali vita migrasset ad immortalem, post funeri ipsius,

ac solemnium essequiarum, vt mòris est celebrationem. Venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus Romæ in Palatio Apostolico apud Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis, in quo idem Prædecessor noster, dum viueret habitabat, & præsentis vitæ cursum finierat, in Conclaui pro electione futuri Pontificis celebrando modo, & tempore congruis in virtute Altissimi conuenerunt, vbi variis consiliis, & maturis deliberationibus præhabitis facta celebratione Missæ in honorem Spiritus Sancti, post diligentem tractatum, prout tantæ rei, qua nulla maior in terris agitur, grauitas, exigebat, tandem prædicti fratres eius, qui inuocatus fuit gratia cordibus eorum infusa, licet in alios maioribus meritis insignes conuenire potuissent, certo tamen Dei iudicio cuius consilia inscrutabilia sunt, Nos tunc Sanctæ Mariæ in Dominica S. R. E. Diaconum Cardinalem in Sponsum, Pastoremque Ecclesiæ suæ Sanctæ quinto Kalendas Martij vnanimi, voluntate, & concordia elegerunt. Quoniam ergo, sicut Domino placuit, ita factum fuit, quamuis nos habere humeros imbecilles ad preferendum tantum onus, quantum est vniuersalis Ecclesiæ sarcina, sentiremus, tamen ne reluctari videremur Diuinæ voluntati, collum subiicimus iugo Apostolicæ seruitutis, sperantes in eo, qui infima elegit mundi, vt confundat fortia (cum Romanus Pontifex, licet per Ministerium hominum eligatur ex cœlesti tamen inspiratione procedit) quod fragilitati nostræ robur suæ gratiæ inspirabit, & vires contra hostes fidei suggeret, vt & perfidi Turcæ non solum à suis auribus retra-

hantur, sed spe Diuini auxilii, & præsidio nostro, ac Catholicorum Regum, & Principum penitus conculcentur. Idcirco exhortamur in Domino vestram deuotionem, vt solemni Processione præhabita, vna cum celebratione Missæ Sancti Spiritus porrigatis Altissimo vestras preces, humiliter supplicando, vt nobis vberem gratiam largiatur, quæ Nos sufficientes reddat ad regendam Ecclesiam suam Sanctam. Nos enim erga deuotionem vestram dispositi sumus, vt omnia, quæ cum Deo, & huius Sanctæ Sedis honore pro vestris commodis facere poterimus à nobis sperare possitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo duodecimo, quarto decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri Anno primo.

CREATIONES CARDINALIVM.

Die 23. Septembris anno 1513. Romæ creati sunt infrascripti; consenserunt Cardinales præsentes in Consistorio, absentes autem datis literis, vt ex Diario. Ciacconus refert creationem ad diem primam Octobris.

LAVRENTIVS PVCCIVS FLORENTINVS, Protonotarius Apostolicus, ac Papæ Datarius, Præsbyter Tit. Sanctorum Quatuor coronatorum, postea Sancti Clementis, ac Sancti Laurentii in Damaso, maior Pœnitentiarius vt in ipsius Laurentii vita, Episcopus Venetensis, Amalphitanus, Montis flasconis, & Cornetanus obiit Romæ die 19. Septembris nocte ante-

ce-

cedenti anno 1531., vt in manuscr. Ciaccon. die 15. Septembris.

IVLIVS MEDICES Papæ Patruelis, Archiep. Florentinus Diac. S. Mariæ in Dominica, ac Præsb. S. Clementis & postea S. Laurentii in Damaso, Archiepiscopus Narbonensis, Episcopus Gerundensis, Agriensis, Britotonoriensis, Asculanus, Albinganensis, Ciuitatis Castellanæ, Vauten. Albien., Potentinus, & Ebrebunensis: legatus in Bononia, Exharchatu Rauennæ, Tuscia, Italia, & ad quæcumque alia loca, ad quæ proficisceretur; rursus legatus ad Vexelliferum Iustitiæ, & Prioris libertatis Populi Florentini, S. R. E. Vice Cancellarius, & demùm Clemens Septimus. hunc Leo, præmissis probationibus ex legitimo matrimonio natum, consistorialiter declarauit anno 1513.

BERNARDVS TARLATVS, aliàs Diutius de Bibiena, Protonotarius, & Thesaurarius, Diac. Sanctæ Mariæ in Porticu, Episcopus Constantiensis, Cauriensis, Puteolanus, legatus Vmbriæ, legatus ad Maximilianum Imperatorem ad partes Italiæ venientem, semel, atque iterùm missus ad Regem Franciæ, legatus exercitus Ecclesiastici contrà Ducem Vrbini, obiit Romæ die prima Nouembris nocte sequenti anno 1520. non sine veneni suspicione.

INNOCENTIVS CIBO IANVENSIS, Protonotarius Apostolicus ex Magdalena sorore Pontificis Nepos, Diaconus sanctorum Cosmæ, & Damiani; postea Sanctæ Mariæ in Dominica, & deindè Sanctæ Mariæ in Via lata, Archiepiscopus Ianuensis, & Brituricensis,

Præ-

Præsul Massiliensis, Sancti Andreæ, Taurinensis, Vulteranus, Vintimiliensis, Britonoriensis, Saonensis, Marianensis, Aleriensis, legatus Bononiæ & Romandiolæ, ac S. R. E. Camerarius: decessit Romæ die 14. Aprilis, octaua hora noctis antecedentis anno 1530.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris x. Septembris anno 1515. Romæ, ut in Diario: Ciacconus die 7. Septembris.

THOMAS VLIER BRITANNVS, Archiepiscopus Eboracensis, Præsb. Tit. Sanctæ Cæciliæ ob fœdus inter Pontificem, & Regem Angliæ initum, Episcopus Bathoniensis, Vellensis, Pacensis, Melinensis, legatus ad Regem Angliæ vna cum Laurentio Cardinali Campegio: obiit inglorius in Anglia die 28. Nouembris 1530.

TERTIA CREATIO.

Die Veneris 14. Decembris anno 1515. Bononiæ.

HADRIANVS BOYS GALLVS, Episcopus Constantiensis Præsb. Tit. Sanctorum Petri, & Marcellini, deindè Sanctæ Sabinæ, ac Sanctæ Balbinæ, Sanctæ Mariæ in Vialata; Episcopus Albiensis, ac ad Regem Galliæ

liæ legatus obiit extrà Curiam ; Nuntius de obitu aduenit Romam die 16. Februarij 1526. apud Ciaccon. vocatur Guffer, alias Boisius, & dicitur obijsse anno 1523.

QVARTA CREATIO.

Die Mercurij prima Aprilis anno 1517. Romæ.

IACOBVS GROY, admodum Iuuenis, Ciuis, & electus Cameracensis, Diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro, Archiepiscopus Toletanus; obiit Vvormatiæ die 31. Decembris anno 1523 alii vocant Ioannem Guillelmum, alii Guillelmum Iacobum vt Ciacconus: in Bullis Leonis vocatur, tàm Guillelmus, quam Iacobus.

ANTONIVS BOERIVS GALLVS ex Monacho Sancti Benedicti, Archiepiscopus Bituricensis, Præsb. Tit. Sanctæ Anastasiæ, hac die reseruatus in pectore, sed incertum adhuc mihi qua die fuerit publicatus; obiit Blesis die 27. Nouembris anno 1519. Ciacconus vocat Antonium de Prato, & asserit obiisse anno 1521. huic Leo indulsit, vt vestes Cardinalitias ad instar aliorum S.R.E. Cardinalium sæcularium in Regno Franciæ, & demùm in Vrbe deferre posset.

QVIN-

QVINTA CREATIO.

Die 26. Iunij anni 1517. actum est in Consistorio de creandis viginti septem Cardinalibus, sed cum Cardinales respondissent creari tunc posse quindecim, vel sexdecim, reliquos verò posse creari per Bullam ad ipsius Pontificis beneplacitum publicandos, Leo in eodem Consistorio cœpit nominare nonnullos nouos Cardinales, deindè substitit, causa ignoratur, & prorogata est creatio ad aliud Consistorium, imposito interim omnibus silentio sub censuris. Die itaque prima Iulij 1517. creati sunt triginta, & vnus Cardinales.

1

FRANCISCVS DE COMITIBVS ROMANVS, Archiepiscopus Compsanus, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, obiit in oppido Turrichii Veliternæ Diœcesis die Lunæ 5. Iunii 1521. in manuscr. in Diario Paridis legitur decessisse die 29. Iunii. Ciaccon. ad diem tertiam Iunii obitum refert.

IOANNES PICCOLOMINEVS SENENSIS, Præsb. Tit. Sanctæ Sabinæ, deinde Sanctæ Balbinæ, Episcopus Aquilanus, Vmbiaticensis, Albanus, Prænestinus, Portuensis, & Ostiensis; legatus ad Carolum V. ac ad Rempublicam Senensem, obiit Senis 21. Nouembris anno 1537.

IOANNES DOMINICVS CVPPIS ROMANVS Ciuis, Archiepiscopus Tranen. Præsb. Tit. Sancti Ioannis antè Portam Latinam, deindè Sancti Apollinaris, ac Sancti Laurentii in Lucina, Episcopus Adrianensis,

mon-

Montispelusii, Maceratensis, Recanatensis, Camerinensis, Neritonensis, Albanus, Prænestinus, Sabinus, Portuensis, quam Ecclesiam optauit in generali Congregatione Cardinalium, Legatus in Marchia Anconitana, & ad Carolum V. venientem in Italiam, obijt Romæ die 10. Decembris nocte antecedente anno 1553.

NICOLAS PANDVLPHINVS, Episcopus Pistoriensis, Præsb. Tit. S. Cæsarij in Palatio, obijt die 5. Iulij 1518. Additio ad Ciaconum monet hunc non esse vocandum Pandulphinum, aliàs de Capponibus.

RAPHAEL PETRVCCIVS SENENSIS, Episcopus Grossetanus, Castellanus Castri S. Angeli, Præsb. Tit. S. Susannæ, Episcopus Soanensis, & Britoriensis, obijt Senis die 17. Decembris 1522.

ANDREAS DE VALLE ROMANVS, Episcopus Melitensis, Præsb. Tit. Sanctæ Agnetis in Agone, deinde Sanctæ Priscæ, Episcopus Gallipoletanus, Caiacensis, Neocastrensis, Vmbriacensis, Crotonensis, Valuensis, ac Sulmonensis, Albanus, & demùm Prænestinus, obijt Romæ die 4. Augusti 1534.

BONIFACIVS FERRERIVS VERCELLENSIS, dictus de Iurea, Episcopus Hipporegiensis, Præsb. Tit. Sanctorum Nerei, & Achillei, Episcopus Albanus, Prænestinus, Sabinus, ac Portuensis: obijt Romæ die Martis 2. Ianuarij 1543. Hic fuit detentus Papiæ à militibus exercitus Ecclesiastici, dum Romam ad Conclaue proficisceretur, ideoque Sacrum Collegium ad alios octo dies ingressum in Conclaue prorogauit.

IOANNES BAPTISTA PALLAVICINVS GENVENSIS, Episcopus

Q Ca-

Cauallicensis, Præsb. Tit. S. Apollinaris, Episcopus Horaclensis, obiit in Castro fabricæ die 14. Augusti nocte antecedenti anno 1524.

POMPEIVS COLVMNA ROMANVS, Episcopus Reatinus, Præsb. Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum, posteà Sancti Laurentij in Damaso, Episcopus Interamnensis, Potentinus, Cathaniensis Accerrensis, Rossanensis, Aquilanus, Sarnensis, ac Montis Martani, S.R.E Vicecancellarius, Legatus in Pannonia, ac missus à Sacro Collegio ad Ciuitatem Vetulam, vt Hadrianum ex Hispanio venientem salutaret: priuatur dignitate à Clemente VII. die 21. Nouembris anno 1626. & restituitur in pristinum gradum ab eodem die vltima Augusti anno 1529. Decessit Neapoli die 29. Iunij anno 1532. Ex Diario, & manuscr. Ciacconus refert obitum ad mensem Iulij.

SCARAMVCCIA TRIVVTIVS MEDIOLANENSIS, Episcopus Comensis, Præsb. Tit. Sancti Ciriaci in Thermis, Episcopus Viennensis, ac Plantinus decessit anno 1527.

DOMINICVS IACOBACCIVS ROMANVS, Episcopus Nucerinus, Præsb. Tit. Sancti Bartholomæi in Insula, deinde Sancti Clementis, ac Sancti Apollinaris, Episcopus Cassanus, Massanus, & Grossetanus; obijt Romæ die 2. Iulij anno 1527. Ciaccon. 1528,

LAVRENTIVS CAMPEGIVS BONONIENSIS, Episcopus Seltrensis, Præsb. Tit. S. Thomæ in Parione, posteà S. Anastasiæ, ac Sanctæ Mariæ Transtyberim; Episcopus Sarisburiensis, Cretensis, Parentinus, Bononiensis, Oscensis Albanus, Prænestinus, Sabinus,

Le-

Legatus ad Cæſarem, ac in Germaniam, & ſemel atque iterum ad Regem Angliæ, & pro Generali Concilio Vicentiæ indicto, & pro concomitando Carolo V. Bononia in Germaniam redeunte, obijt Romæ die 25. Iulij anno 1539.

LVDOVICVS DE BVRBONIO GALLVS, Epiſcopus Laudunenſis, Præsb. Tit. Sanctorum Silueſtri, & Martini in montibus, ac deinde Sanctæ Sabinæ, Archiepiſcopus Senonenſis, Epiſcopus Conomanenſis, creatur Epiſcopus Præneſtinus à Iulio Tertio in ſecreta Cardinalium creatione, Legatus in Ducatu Sabaudiæ, obijt Lauduni die 10. Martij anno 1557.

HADRIANVS FLORENTIVS TREIECTENSIS, Epiſcopus Derthuſenſis, Præsb. Tit. Sanctorum Ioannis, & Pauli, poſteà ſummus Pontifex Hadrianus Sextus.

FERDINANDVS PONZETTVS FLORENTINVS, Melphitenſis Epiſcopus, & Theſaurarius Generalis, Præsb. Tituli Sancti Pancratij, Adminiſtrator Eccleſiæ Groſſetanæ, obijt Romæ die 11. Septembris anno 1527. in manuſcr. Ciaccon. de menſe Martij 1528.

ALOYSIVS DE RVBEIS FLORENTINVS, Protonotarius Apoſtolicus, Præsbyter Tit. Sancti Clementis obijt Romæ die Veneris 20. Auguſti nocte ſubſequenti, anno 1519., vt in Diario Paridis. Ciacconus die 20. Iulij.

SILVIVS PASSARINVS Datarius, & Protonotarius Apoſtolicus, Præsb. Tit. Sancti Laurentij in Lucina, deinde Sancti Petri ad Vincula, Epiſcopus Cortonenſis, Sarnenſis, Aſſiſienſis, Barchinonenſis, Legatus in Vmbria, Deceſſit Romæ die 20. Aprilis 1529. Ciac-

conus in mense Maij.

Franciscvs Armellinvs Pervsinvs, Protonotarius Apostolicus, & Clericus Cameræ Apostolicæ, Præsb. Sanctæ Mariæ Transtyberim, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Hieracensis, & Oppidensis, S. R. E. Prouicecancellarius ob priuationem Pompeij Cardinalis Columnæ, ac deinde S. R. E. Camerarius, legatus in Marchia Anconitana in Mediceorum familiam adscitus, decessit Viterbij die 8. Ianuarij anno 1528. Ex Diario incerti: in eius tumulo legitur obijsse mense Octobris anno 1527., quo tempore Clemens Septimus detinebatur in Castro Sancti Angeli. Ciacconus verò scribit obijsse mense Septembris.

Frater Thomas de Vio Caietanvs, Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, Præsb. Tit. S Xyxti, posteà Sanctæ Praxedis, Archiepiscopus Panormitanus, & Caietanus, Legatus in Germaniam Leone Pontefice, ac in Hungariam sub Hadriano Sexto, obijt Romæ die 10. Augusti anno 1534.. vt in Diario. Ciacconus die 9. Septembris.

Fr. Christopharvs Nvmalivs Forolivienisis, Minister Generalis Minorum, Præsb. Tit. Sancti Bartholomæi inter Pontes, postea Sanctæ Mariæ de Aracœli, Episcopus Iserniensis, & Aletunensis, & Rigensis, obijt Anconæ die 23. Martij 1528. ex Diario; Ciacconus die 21.

Fr. Aegidivs Viterbiensis, Generalis Ordinis Eremitarum, Præsb. Tit. Sancti Matthæi, posteà Sancti Marcelli, Patriarcha Constantinopolitanus, Episco-

scopus Viterbiensis, Castrensis, Lancianensis, Sutrinus, & Nepesinus, Iadrensis; Legatus in Hispanias, obiit Romæ die martis 12. Nouembris circa horam decimam noctis antecedentis anno 1532.

GVILLELMVS RAIMVNDVS VICH, Protonotarius Apostolicus Hispanus, Præsb. Tit. Sancti Marcelli, Episcopus Cephaludensis, obijt in Monasterio Casæ maris Ordinis Cisterciensis Verulanæ Diœcesis die 25. Iulij 1525.

FRANCIOTTVS VRSINVS ROMANVS, Protonotarius Apostolicus, Leonis Amitinus Diac. Sancti Georgij in Velabro, posteà Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Episcopus Boianensis, & Ariminensis, obiit Romæ die Sabbati 10 Ianuarij anno 1534.

PAVLVS DE CÆSIS ROMANVS, Protonotarius Apostolicus, Regens Cancellariæ Diac. Sancti Nicolai inter Imagines, postea Sancti Eustachii, Episcopus Tudertinus, Narniensis, Hortanus, Ceruiensis Ciuitatis Castelli, Massanus, obiit Romæ die 4 Augusti hora 7. noctis sequentis anno 1537. Ex Diario: Ciaccon. in Paulo Tertio affirmat obiisse anno 1535.

ALEXANDER CAESARINVS ROMANVS, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sanctorum Sergii, & Bacchi, postea Sanctæ Mariæ in Via lata, Episcopus Brixiensis, Hieracensis, Conchensis, Oppidensis, Alexiensis, Hidruntinus, Pampilonensis, Albanus, ac Prænestinus, Legatus ad Carolum V., Regemque Francorum pro pace componenda, & rursùs ad Carolum vna cum Cardinale Piccolomineo gratulaturus de Tuneto expugnato, ac à Sacro Cardinalium

cæ-

cætu ad Hadrianum Sextum in Cæsaraugustum destinatus, obiit Romæ die 13. Februarii anno 1542.

IOANNES SALVIATVS FLORENTINVS Nepos Pontificis ex sorore, Prothonotarius Apostolicus, Diac. Sanctorum Cosmæ, ac Damiani, Episcopus Firmanus, Ferrariensis, Fanensis, Vultoranus, Sanctæ Seuerinæ, Vasiensis, Biterensis, Sancti Papuli, Olorensis, Albanus, Sabinus, ac Portuensis, Legatus Parmæ, ac Placentiæ, & in Vrbe, ad Cæsarem, & Principes Germaniæ, dum Clemens detineretur, ac Legatus totius Christianitatis, obiit Rauennæ die 28. Octobris 1553.

NICOLAVS RODVLPHVS FLORENTINVS, Nepos Pontificis ex Sorore, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sanctorum Viti, & Modesti in macello Martyrum, deinde Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ac Sanctæ Mariæ in Via lata, Archiepiscopus Salernitanus, & Florentinus, Episcopus Vicentinus, Viterbiensis, Vrbeuetanus, Foroliuiensis, Imolensis, Legatus in Prouincia Patrimonii, decessit Romæ Sede vacante, prima Februarii anno 1550.

HERCVLES RANGONVS MVTINENSIS Protonotarius Apostolicus, & Papæ Cubicularius Diaconus Sanctæ Agathæ, Episcopus Cauensis, Mutinensis, Adriensis, Nazariensis, obiit in Castro Sancti Angeli mense Augusti 1520

AVGVSTINVS TRIVVLTIVS MEDIOLANENSIS, Protonotarius Apostolicus, Papæ Cubicularius, Diaconus Sancti Hadriani, & deinde Sancti Nicolai in Carce-

re

re Tulliano, Episcopus Tolonensis, Bobiensis, Massiliensis, Astensis, Baiocensis, Nouariensis, Vaurensis, Regiensis in Calabria, Laodiensis, Archiepiscopus Mediolanensis, Legatus in Prouinciis Campaniæ, & Maritimæ, ac ad Regem Galliæ, obiit Romæ die 30. Martii anno 1547., vt in Actis Consistorij, & manuscr. Ciaccon. 20 Martii 1548.

FRANCISVS PISARVS VENETVS, Protonotarius Apostolicus, Diaconus Sancti Theodori, deindè Sanctæ Mariæ in Porticu, postea Præsb. Sancti Marci; Episcopus Taruisinus, Patauinus, Albanns, Tusculanus, Portuensis, Archiepiscopus Narbonensis, obiit die Lunæ 29. Iunii 1570.

ALPHONSVS INFANS PORTVGALLIAE in octauo ætatis anno constitutus ea conditione, vt cum peruenisset ad decimum quartum haberetur pro Diacono Cardinali, vt in literis Leonis VIII. idus Maii 1518. quibus illi concedit Diaconiam Sanctæ Luciæ in septem foliis tunc solo æquatam: fuit posteà Diaconus Sancti Blasii, Archiepiscopus Vixbonen̄, Episcopus Targitanus, Visensis, Alborensis, & Equinatensis, decessit Vlixipone mense Aprili 1540. vt in Diario. Ciacconus 1537.

SEX-

SEXTA CREATIO.

Die 24. Martij anno 1518. Romæ.

ALBERTUS EX MARCHIONIBUS BRANDEBURGENSIBUS GERMANUS, Archiepiſcopus Moguntinus, & Magdeburgenſis, Adminiſtrator Alberſtadenſis. Præsb. Tit. Sancti Chryſogoni, deindè Sanctorum Petri, & Pauli, ac Sancti Petri ad Vincula obiit Maguntiæ die 24. Septembris 1545. Hic fuit præfata die creatus, ſed non publicatus, teſte Blaſio de Cæſena, qua autem die fuerit publicatus non aperit: rubrum pileum ſuſcepit die 29. Auguſti eodem anno.

SEPTIMA CREATIO.

Die Veneris 28. Maij anno 1518.

IOANNES A LOTHARINGIA Filius Renati Regis Hieruſalem, & Siciliæ, electus Metenſis, Diaconus Sancti Honuphrii ad præces Regis Galliarum; Archiepiſcopus Narbonenſis, Epiſcopus Tullenſis, Virdunenſis Lucionenſis, Valentinus, & Dienſis, Rhemenſis, Lugdunenſis, Albienſis, Morinenſis, Matiſconenſis, ac Legatus in Lotharingia: obiit die 10. Maii 1550.

OCTA-

OCTAVA CREATIO.

Die Veneris 9. Augusti 1521. Romæ idem Leo anno 1520. habuit vota Cardinalium super promotione duorum Cardinalium, scilicet Heraldi Episcopi Leodiensis ad preces Imperatoris, & Ioannis Archiepiscopi Tolosani ad præces Regis Galliarum.

Die Veneris 9. Augusti 1521. fuit creatus, & publicatus Heraldus de Marca, Episcopus Leodiensis, & Valentinus Præsb. Tit. Sancti Chrysogoni, postea Legatus in Diœcesi, & Ciuitate Leodiensi, qui mortalitatem exuit die 16. Februarij anno 1528.

IOANNES DE AVRELIA, Archiepiscopus Tolosanus: hic non fuit à Leone publicatus ob rerum varietates, & superuenientem Pontificis obitum: Clemens Septimus intuitu Regis Francisci, & Ludouicæ eius matris pollicitus est die 21. Augusti 1526. se Cardinalatus dignitatem Ioanni delaturum in prima Cardinalium creatione. Die 26. Maii 1531: idem Clemens egit in Consistorio de publicando, & adscribendo eodem Ioanne in numerum Cardinalium, sed Sacrum Collegium assensum præbere recusauit; tamen à Clemente publicatus fuit die 21. Februarii anno 1533. post annos 12. decessit anno 1534.

Assumpsit etiam Leo ad dignitatem Cardinalitiam Antonium Sancti Seuerini, Baiulium Sanctissimæ Trinitatis Venusinæ Diœcesis absentem, quem tamen

R non

non publicauit. Clemens Septimus literas Leonis confirmauit die 21. Nouembris 1527., & virtute earumdem literarum Antonium decreuit esse Cardinalem, ac publicauit, dum in Ciuitate Vrbeuetana moraretur die 19. Februarii 1528. vide sub Clemente Septimo. De Ioanne, & de Antonio Ciacconus in Leone non loquitur: Antonium scribit creatum fuisse S. R. E. Cardinalem in prima Cardinalium creatione.

In secunda editione Ciacconi legitur fuisse designatum Cardinalem Petrum Quirinum Venetum Monachum Camaldulensim, non autem dicitur fuisse creatum, sed de illo familiares Leonis scriptores non meminere, nec in Bullis, aut Breuibus extat mentio.



HA-

HADRIANVS SEXTVS.

Hadrianus Florentius Præsbyter Cardinalis Tit. Sanctorum Ioannis, & Pauli absens in Hispaniys die Iouis 9. Ianuariy anno 1522. Summus Pontifex in Vaticano renuntiatur: die 28. Augusti adueniens ex Ciuitate Vetula pernoctauit in Ecclesia Sancti Pauli extrà Vrbis mœnia, die sequenti ingressus est in Vrbem. Die Dominicæ xxxi. Augusti in Porticu B. Petri coronatur hora xiiy. migrauit ad Dominum die Lunæ 14. Septembris inter decimam octauam, & decimam nonam horam in festo exaltationis Sanctæ Crucis anno 1523.

CARDINALIVM CREATIO.

Die Iouis x. Septembris 1523. Romæ in Vaticano extrà Consistorium, dum Pontifex ex ægritudine, qua decessit, decumberet literis sub Bulla expeditis creatur.

VVILIELMVS ENCKENVONTIVS BRABANTINVS Papæ Datarius, & Episcopus Derthusensis, Præsb. Sanctorum Ioannis, & Pauli, Episcopus Traiectensis, vulgò Traiectensis, decessit Romæ die 30. Iulii nocte antecedente anno 1534.

CLEMENS VII.

Iulius de Medicis Florentinus Præsb. Card. Tit. Sancti Laurentij in Damaso: die mercurij 18. Nouembris anno 1523. in Vaticano renunciatur Summus Pontifex. Die Iouis 26. Nouembris eodem anno coronatur ad gradus Basilicæ Sancti Petri: migrauit ad Dominum die Veneris 25. Septembris hora decima octaua anno 1534. ex Blasio de Cæsena, & Honuphrio Panuinio, licet in Additione ad Ciacconum referatur tumulus cum die 26. & Cabrera asserat obitum incidisse in diem 24.

REGI FRANCORVM.



ARISSIME in Christo fili noster salutem, &c. sublato nuper de medio, sicut Deo placuit, fel. rec. Hadiano VI. immediato prædecessore nostro, Sedeque Apostolica Pastore carente, Sacrum Collegium Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, peractis exequiarum solemniis, spiritusque Sancti numine religiosissime inuocato, Conclaue apud S. Petrum, vbi Hadrianus obierat, de more ingressi, Nos vnanimi consensu in Pontificem Maximum elegerunt, qui licet tanto munere Nos indignos, & oneri impares esse cognoscamus, diuinæ tamen voluntati, cuius prouidentia

Romana, & vniuersalis Ecclesia gubernatur, parentes, & consensui Patrum cedentes, pondus ipsum suscepimus, firma Spe, ac fiducia ducti, quod Dominus, & Saluator noster Iesus Christus, qui Nos, licet immeritos, vices suas in terris gerere voluit, Nos ea docere dignabitur, quibus iuxtà pium propositum nostrum Rempublicam Christianam regere, defendere, & ampliare possimus, & ceteris in rebus nostro pastorali officio, expectationique fidelium satisfacere. Quæ præcellentissimæ maiestati tuæ pro nostra in eam charitate significanda duximus, vt, quemadmodùm tu Christianissimus, & electo Christi Vicario iucundus esse semper consueuisti, sic huiusmodi assumptione nostra, quæ omnibus communis futura est: lætari merito valeas; habitura est enim Maiestas tua Pontificem, qui paci, & tranquillitati Regum, & Principum Christianorum, totiusque Reipublicæ Christianæ, conseruationique, & restitutioni religionis eiusdem aduersus immanissimum Turcarum Tyrannum illam (vt credo nosti) totam occupare intentissimum, toto corde studebit, quique in omnibus, quæ ad gentem tuam pertinent, & cum Deo fieri possint nunquam defuturus est, vti Maiestas tua quotidie experiendo vera esse cognoscet. Datum &c. 1523. ante coronationem.

CREA-

PRIMA CREATIO.

Die Veneris 3 Maij 1527. fuit habita congregatio Generalis coram Pontifice pro creandis Cardinalibus, & conclusum, vt crearentur tres in Vrbe præsentes, videlicet Archiepiscopus Rauennatensis, Episcopus Perusinus, & Episcopus Firmanus, ac tres absentes videlicet Grimanus, Cornelius, & Fr. Marchionis Mantuani ex septem quatuor fuerunt eadem die nominati: ex Blasio de Cæsena Magistro Cærimoniarum.

BENEDICTVS DE ACCOLTIS ARETINVS, nepos Petri Accolti Cardinalis viuentis, Archiepiscopus Rauennæ, Præsb. Tit Sancti Eusebij, Episcopus, seu Administrator Ecclesiæ Cremonensis, Policastrensis, & Bouinensis, legatus Marchiæ Anconitanæ, de qua litem illi mouit Hippolytus Cardinalis de Medicis: Die Lunæ 15. Aprilis 1535. detentus est in Castro Sancti Angeli, à quo die vltima Octobris fuit dimissus cum priùs se errasse, & deliquisse fuisset confessus, & solutis ducatis 59. mill. auri solis. obiit Florentiæ die 21. Septembris 1549.

AVGVSTINVS SPINOLA LIGVR, Episcopus Perusinus, Præsb. Tit. Sancti Cyriaci in Thermis, Episcopis Maurianensi, Æsino, Albiganensi, & cuilibet eorum iniunxit Clemens die 11. Octobris 1527., vt eidem Annulum Zaffiri, & Pileum rubrum, Cardinalatus insignia traderent, Episcopus Saonensis, & Aletrinensis, ac S.R.E. Camerarius, moritur die 18.

Octo-

Octobris nocte antecedenti 1537.

NICOLAVS GADDVS FLORENTINVS, Episcopus Firmanus Sancti Theodori Diaconus, & posteà Præsbyter Sanctæ Mariæ in Via lata, Episcopus Salatensis, Archiepiscopus Cusentinus, obses pro Clemente Septimo mortuus est die 17. Februarii 1552. Huic Leo decimus pollicitus fuerat, se in prima Cardinalium creatione nominaturum inter Cardinales, in literis datis die 13 Octobris 1521.

HERCVLES GONZAGA, Episcopus Mantuanus, Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ, Episcopus Fanensis, & Suanensis; Archiepiscopus Tirasonensis, legatus in Prouinciis Maritimæ, & Campaniæ, ac in Concilio Tridentino primus legatus, & Præsidens, ac pro comitando Carolo quinto, qui post susceptam Bononiæ Coronam Imperii, Ianuam proficiscebatur, decessit in vrbe Tridentina die 2. Martii 1563., non mense Maii, vt alii scribunt, Pileum illi transmisit Clemens die 9. Iulii 1527. eique Titulum Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconalem attribuit.

MARINVS GRIMANVS VENETVS, Patriarcha Aquileiensis, publicatus initio Februarij 1528. Præsb. Tit. S. Vitalis, deindè Sancti Marcelli, ac Sanctæ Mariæ Transtyberim ac Episcopus Portuensis; Episcopus Cenetensis, legatus Vmbriæ, & ad Regem Francorum pro pace, & Parmæ, ac Placentiæ, & in Gallia Cispadana sub Paulo Tertio decessit Vrbeueteri die Martis 28. Septembris 1546. Clemens Grimaldo transmisit Pileum die 6. Februarii 1528. venit ad Pontificem in Ciuitate Vrbeuetana permanentem, à quo

à quo die 21. Ianuarii 1529. in Congregatione Cardinalium fuit receptus, & admissus ad osculum pacis, locus tamen eidem non fuit datus: quia ipse prætendebat attendendam esse datam suæ Bullæ sub die 3. Maii 1527., non autem publicationem initio Februarii 1528. & prælationem iuxtà Bullam sibi deberi: in alia Congregatione habita die 27. Ianuarii fuit illi datus locus inter duos vltimos Cardinales, videlicet Cardinalem Grimaldum, & Cardinalem de Medicis ex Blasio de Cæsena.

SECVNDA CREATIO.

Die 21. Nouembris 1527. in Arce Sancti Angeli: Ciacconus sequentes Cardinales creatos asserit in prima creatione.

ANTONIVS DE SANCTO SEVERINO NEAPOLITANVS Baiuliuus Sanctissimæ Trinitatis Venusinæ, creatus à Leone X. sub quibusdam conditionibus, quæ, quoniam fortasse adimpleta non fuerant, ipso Leone, & Hadriano Pontificibus, non habitus fuit pro Cardinali. Clemens Septimus die 21. Nouembris 1527. Leonis literas confirmauit, & pro sanctæ Ecclesiæ Cardinali haberi voluit, die verò 19. Februarii 1528. iterum declarauit Cardinalem; & publicauit cum Titulo Sanctæ Susannæ; mense Martio 1528. dum Clemens Vrbeueteri moraretur insignitus fuit clericali charactere ab Alexandro Cardinali

Far-

Farnesio posteà Paulo Tertio, vt ipse testatur. Die Dominica 16. Februarii 1528. in Castro Sancti Angeli rubrum illi galerum imposuit Laurentius Campegius Præsb. Tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim in Vrbe legatus à Clemente iussus, & iterato pileum rubrum transmissum à Clemente per Rainerium Camerarium, aliaque Cardinalatus insignia tradidit Antonio idem Laurentius mense pariter Februario die 24. in festo Sancti Matthiæ iussu eiusdem Pontificis, ne secundæ literæ datæ 19. Februarii contemni viderentur: fuit primò Præsbyter Cardinalis Tit. Sanctæ Susannæ, deindè Sancti Apollinaris, posteà Sanctæ Mariæ Transtiberim, Episcopus Prænestinus, Sabinus, Portuensis: Episcopus Conuersanus, Archiepiscopus Cusentinus, & Tarentinus: Legatus de latere ad Carolum Quintum anno 1536. ex Ciuitate Neapolitana venientem ad Vrbem: decessit Romæ 16. Augusti nocte sequenti 1543. In Diario Blasii de Cæsena legitur publicatus die 17. Februarii 1528. Ciacconus asserit creatum die 3. Maii 1527. vnà cum tredecim aliis Cardinalibus: additio affirmat creatum à Clemente in secunda Cardinalium creatione anno 1529. Videat lector scriptores non conuenire in tempore creationis, seu publicationis: Antonium nondum Clericum Cardinalitia dignitate decoratum, sæpiùs creatum, bis publicatum Cardinalem, semel atque iterum insignibus Cardinalitiis ornatum.

IOANNES VINCENTIVS, qui & Vincentius Carafa Neapolitanus. Archiepiscopus Præsb. Tit. Sanctæ Puden-

dentianæ, deindè Sanctæ Priscæ, ac Sanctæ Mariæ Transtiberim Episcopus Prænestinus Episcopus Administrator Anagninus, & Acceriorum, & Anglonensis: decessit Neapoli die 28. Septembris 1541. electionem Io. Vincentii confirmauit Clemens literis in forma Breuis, ne de ea quæstio moueretur, ex quo celebrata esset in Castro Sancti Angeli, vbi à militibus Cæsarianis detinebatur. Ciacconus Ioannem Vincentium creatum asserit die 3. Maii, Bartholomæus Cioccarellus de Archiepiscopis Neapolitanis die 7. Maii, Paulus Iouius, & Honuphrius Panuinius tempus non adscribunt.

ANDREAS MATTHÆVS PALMERIVS NEAPOLITANVS, Archiepiscopus Matheranus Præsb. Tit. Sancti Clementis, Administrator Ecclesiæ Sarnensis, & Lucerinæ, Conserarensis, & Policastrensis, decessit Romæ in Palatio apud S. Petrum die 20. Ianuarii 1537. ex manuscr., & ità legitur in tumulo extemporaneo, qui fuit positus in Ecclesia B. Mariæ de Populo in sacello Petri Fuscari ex incerto tunc temporis Auctore, & Petro Paulo Gualterio. Panuinus affirmat decessisse Romæ die XI. Februarii 1537. Alii scribunt obiisse Mediolani die vltima Maii 1535., vt in addit. ad Ciacconum, & in ipso Ciaccone.

ANTONIVS ANTONII DE PRATO Tusciæ, Magnus Galliæ Cancellarius, defuncta Vxore, Archiepiscopus Senonensis Præsb. Tit Sanctæ Anastasiæ, Episcopus Albiensis, & Meldensis Galliarum legatus transmisit eidem Pileum rubrum, & anulum Zaffiri Clemens die 4. Decembris 1527. supplicauerat pro Cardi-

dinalatu Franciſcus Rex Galliarum, & Ludouica de Sabaudia Domina Engoliſmes, & Clemens aſſenſum præbuerat gratiæ, vt autem Antonius certior eſſet ea dignitate Pontifex Bullam ſignari mandauit anno 1526. decimo quarto Calend. Decembris anno tertio, qua ei Cardinalatum pollicetur: obiit in Hantotlet die 9. Iulii 1535. cum Ciaccono ſcribunt aliqui fuiſſe natione Gallum, ſed in inſcriptione poſita in Eccleſia Senonenſi enuntiatur de Prato Tuſciæ.

HENRICVS DE CARDONA HISPANVS, Archiepiſcopus Montis regalis, Præsb. Tit. Sancti Marcelli tranſmiſit eidem Pileum rubrum, & cætera Cardinalatus inſignia Clemens die 23. Martii 1527. cum Romam ad Pontificem è Sicilia veniſſet exuto hic homine in Cælum ſublatus eſt die 7. Februarii 1530., vt legitur in tumulo.

HIERONYMVS GRIMALDVS GENVENSIS, Epiſcopus Venefranus, Diac. Sancti Georgii in Velabro, Epiſcopus Adminiſtrator Albinganenſis, Brugnaticenſis, Stroncolanus, Archiepiſcopus Barenſis, & Montis regalis, legatus de latere in Dominio Genuenſium, mortuus eſt Genuæ die 27. Nouembris 1543. Clemens die 6. Aprilis 1529 Collegio Cardinalium commiſit, vt cognoſcerent, quis deberet, vti Cardinalis in digniori loco ſedere, Vincentius ne Caraſa, an verò Hieronimus Grimaldus.

PIRRHVS GONZAGA Protonotarius, Epiſcopus Mutinenſis, Diaconus Sanctæ Agathæ publicatus eſt die 10. Februarii 1528. obiit poſt receſſum Clementis

ex Ciuitate Vrbeuetana anno 1529. propè Mutinam, nuntius de obitu allatus est ad Curiam die 2. Februarii ex Blasio de Cæsena. Ciacconus tradit obiisse mense Aprilis eodem anno.

SIGISMVNDVS PAPPACODA, Episcopus Tropiensis hic fuit die 21. Nouembris ad Cardinalatum assumptus, & publicatus ex literis Clementis; & est vnus ex tribus Cardinalibus, qui Pontifici in Castro S. Angeli commoranti subsidium obtulerant, sed post publicationem Prorex Neapolitanus alium substitui impetrauit. Cardinalatus insignia illi tradita non fuerunt, nec habitus fuit pro Cardinali. Ciacconus non meminit; in additione refertur tumulus, in quo legitur *Sigismundum* in cætum Cardinalium adscitum, maluisse in Patria Episcopum viuere, & obiisse anno 1536.

TERTIA CREATIO.

Die 7. Decembris 1527.
Ex Bulla Cardinalatus.

FRATER FRANCISCVS QVIGNONES, alias de Angelis, Patruus Francisci Ferdinandi de Quignones Comitis de luna missus à Carolo V. ad Clementem VII. in Arce Sancti Angeli detentum, creatus est Cardinalis die 7. Decembris 1527., sed non fuit nisi post aliquot menses publicatus, die x. Ianuarij 1529.

dum

dum Clemens morbo laboraret fuit eidem traditum Pileum rubrum, clausumque, & apertum os. Præsbyter Tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem, Episcopus Cauriensis, & Hispalensis vnus ex tribus legatis ad Carolum venientem, pro suscipienda Imperii Corona, & rursùs ad eumdem legatus anno 1536. An autem fuerit Episcopus Prænestinus, pro vt asserit Ciacconus, incertum est. In prima legatione à Neapolione Vrsino Abbate Farsensi interceptum, ductumque ad Castrum Bracchiani Congregatio Sacri Collegii, in qua tunc negotia Sedis Apostolicæ terminabantur in libertatem restituendum curauit, obiit Verulis 27. Octobris 1540. ex Diario Petri Pauli Gualterii. Ciacconius Mense Septembris.

QVARTA CREATIO.

Die 20. Decembris 1527.
Ex Bulla Cardinalatus.

FRANCISCVS CORNELIVS VENETVS, Præsb. Tit. Sancti Pancratii, Sanctæ Cæciliæ, Sanctæ Praxedis, ac demùm Sanctæ Mariæ Transtiberim, Episcopus Albanus, ac Prænestinus, publicatus est Cardinalis mense Februario 1528. Clemens die 19. eiusdem mensis iniunxit Episcopo Polensi Sedis Apostolicæ Nuntio Venetiis commoranti, vt Cornelio traderet Pileum rubrum, & alia Cardinalatus insignia, & antequam

tra-

traderentur concessit, eidem, vt posset vti Rocchetto, & rubro bireto, & quia de validitate creationis dubitabatur, ex quo tunc temporis non erat adscriptus militiæ clericali, concessit perindè valere (vt vocant) die 5. Maii 1528. fuit Episcopus Brixiensis. Viterbii expirauit die 26. Septembris nocte sequenti 1543. Cum Cornelius prætenderet se anteferendum esse Francisco Quignones in sessionibus, & alijs actibus Cardinalitiis, ex quo in Consistorio resolutum fuerat die 3. Maii, vt ipse crearetur Cardinalis Congregatio Generalis Cardinalium respondit diem positum in Bulla Cardinalis Quignones, quare hunc esse Cornelio præferendum decreuit, ac prætulit die 26, Februarii 1529.

Hoc anno in regno Siciliæ N. se pro Cardinali gerebat, qui iussu Clementis captus, pænas luit. Ex literis eiusdem Clementis.

QVINTA CREATIO.

Die . . menses . . . Anno
publicatus 8. Iunij anno 1529

HIERONYMVS DE AVRIA GENVENSIS, defuncta Vxore, Diaconus Sancti Thomæ in Parione, deindè Sanctæ Mariæ in Porticu, Episcopus Hebiensis, Iacensis, Naulensis, Oscensis, & Tarasonensis (alii legunt Tarraconensis) mortuus est Genuæ 25. Martij 1548. Hic Cardinalis creatus est à Clemente priùs, quam

crea-

crearetur Hippolytus de Medicis, teste Blasio de Cæsena, qui sic loquitur Die Lunæ 8. Nouembris 1529. fuit Consistorium secretum, in quo receptus est Doria, vti nouus Cardinalis, licet fieri debuisset Consistorium publicum pro eo admittendo, tamen propter multa impedimenta sic placuit Papæ &c. eidem dedit locum in Consistorio post Cardinalem de Medicis, licet Papa subsisteret asserendo, quod illum prius creauerat, tamen Papa sic mandauit, & tolerauit. Honuphrius Panuinius & Ciacconus scribunt fuisse creatum die 19. Septembris 1529., sed error depræhenditur ex Breui Clementis Septimi dato Romæ die 15. Ianuarij 1529., quo Hieronymo Diacono Cardinali concedit facultatem sibi eligendi Episcopum, qui sibi rubrum pileum, & anulum Zaffiri, & cætera Cardinalatus insignia tradat: igitur antè diem decimam quintam Ianuarii fuerat Cardinalis declaratus, prout in literis Clemens ipse testatur: Blasius de Cæsena creatum tradit vna cum Gabriele Acromonte die 8. Iunii 1529., quo die fuit publicatus, cum ipse fuerit creatus antè Hippolytum de Medicis, creatum die x. Ianuarii 1529.

SEX-

SEXTA CREATIO.

Die Dominica x. Ianuarij 1529. Romæ apud Sanctum Petrum.
Ex Bulla Clementis.

HIPPOLYTVS MEDICES FLORENTINVS extra matrimonium natus, Diac. Sanctæ Praxedis, & Auenionensis Archiepiscopus creatur, à Clemente in extremis laborante, circà primam noctis horam Cardinalis in idem Cubiculum, quo ægrotabat, conuocatis, eodemque statim loco, omnia Cardinalatus insignia tradidit, non obstante iuramento de non creando Cardinales donec ad certum numerum non fuissent redacti; hic, cum tempore creationis esset clericali tantùm charatere insignitus, & Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordines, licet sæpiùs monitus non suscepisset, ne de viribus creationis dubitari contingeret, ad beneficia, Ecclesias, & Cardinalatus dignitatem restitutus est, die 30. Iulii 1534., postea Præsb. Sancti Laurentii in Damaso, Administrator Liciensis, & Casalensis, Archiepiscopus Montis regalis, S. R. E. Vicecancellarius, legatus Vmbriæ, ac cum Farnesio, & Quignonio ad Cæsarem pro Corona Imperii suscipienda Genua venientem, & rursus ad eumdem in Germania contrà Turcas anno 1532. inscio Clemente mense Aprilis recessit ab Vrbe, ad quam iussu Pontificis rediit: obiit Itrii non sine veneni suspicione die 13. Augusti 1535. delatum est

ca-

cadauer ad Vrbem die 13. Petrus Paulus Gualterius in Diario. Ciacconus die 5. Augusti.

SEPTIMA CREATIO.

Die Veneris 13. Augusti 1529. Romæ, Ciacconus creatum asserit die Mercurij 8. Iunij.

MERCVRIVS GATTINARIA ALLOBROX, Magnus Cancellarius Caroli V. Imperatoris creatus Præsb. Tit. Sancti Ioannis ante portam latinam Ex Bulla Clementis. Scribit Pontifex Alexandro Episcopo Ostiensi, Francisco S. Crucis Præsbytero, & Hippolyto Sanctæ Praxedis Diacono legatis ad Carolum vt Mercurio post eorum recessum creato, & publicato Cardinali tradant rubrum pileum, & reliqua Cardinalatus insignia die 14. Septembris 1529. Die Lunæ 15. Nouembris 1529. Bononiæ receptus est pro prima vice in Consistorio portatus in sede per suos familiares propter podagram, & in mantello breuiori, non autem Cappa, quàm ferre non poterat ob brachium sinistrum eodem morbo laborans, datus est ei locus post vltimum Præsbyterum, post quos sedit in sede gestatoria, quo vero ád alias Cærimonias fieri consuetas Pontifex ob ægritudinem dispensauit, vt loquitur Magister Cæremoniarum, obiit Oeniponti die 5. Iunii 1530.

OCTAVA CREATIO.

Die 14. Martij creati, & die 19. publicati Bononiæ 1530. Ex libro Magistri Caremoniarum.

CAROLVS, suscepta Imperij corona, antequam Bononia discederet, supplicauit Clementi, vt aliquot familiares in coetum Cardinalium referret: die Veneris 9. Martij habitum est Consistorium, in quo relata est Cæsaris postulatio, sed nihil fuit conclusum: Die Lunæ 14. Martij iterùm in Consistorio actum est de creandis Cardinalibus, & conclusum, vt quatuor crearentur, die Sabathi 19. Martij in Consistorio publicandi. hi sunt.

FRANCISCVS TVRNONIVS GALLVS, Archiepiscopus Bituricensis, Præsb. SS. Petri, & Marcellini, deindè Episcopus Sabinus, & Ostiensis, Sacri Collegij Decanus, Archiepiscopus Auxitanus, ac Lugdunensis: hunc ad commendationem Francisci Regis Galliarum creauit Clemens, prout fuerat pollicitus datis literis die prima Nouembri 1529.

BERNARDVS CLESIVS GERMANVS, Episcopus Tridentinus Ferdinandi Regis Romanorum Cancellarius, & orator Præsb. Tit. Sancti Stephani in Monte Coelio, Administrator Brixinensis ad postulationem Canonicorum: decessit die 29. Iulij 1539. ex tumulo Tridentino. Ciacconus refert obitum ad annum 1538.

LVDOVICVS DE GERREVODO DE CHALANT ALLOBROX, Epis-

Episcopus Maurianensis, Præsb. Sancti Cæsarii in Palatio, legatus in Ducatu Sabaudiæ, obiit anno 1536. Ex Massarello in creationibus Cardinalium: Ciacconus anno 1537.

FR. IOANNES LOSAYA HISPANVS Ord. Prædicatorum Generalis Magister, à Confessionibus Caroli V., Episcopus Oxomen, Præsb. Sanctæ Susannæ, Episcopus Seguntinus, Archiepiscopus Hispalensis, & Generalis in Hispania Inquisitor, cum esset præsens in Curia, die 19 in publico Consistorio receptus rubrum pileum suscepit, & os clausum, apertumque fuit; petijt interesse Consistorio Carolus V. sed responsum fuit illi, publicè non posse, quia non fuerat illi parata sedes, priuatim posse. decessit die 22. Aprilis 1546. Hi tres vltimi Cardinales ad præces Caroli V. creati fuerunt. Ciaccon. affirmat fuisse creatos die 19. Decembris 1530. octo Cardinales Præsbyteros, inter quos recenset quatuor suprapositos.

ENNECVS DE ESTVNICA, ET MENDOZZA, Episcopus Burgensis secreto creatus Bononiæ cum supradictis quatuor, & publicatus die 22. Aprilis 1532. Diaconus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano. obijt in Hispanijs mense Maii 1535. in manuscr. Ciacc. 1538.

NONA CREATIO.

Die Mercurij 8. Iunij 1530. Romæ Ex libro Sacri Collegij.

Post recitatas in Consistorio literas Regis Gallorum, creatus est Gabriel de Acromonte Gallus, Orator Regis, Episcopus Tarbiensis, Præsb. Tit. S. Ioannis ante Portam latinam, deindè Sanctæ Cæciliæ, receptus est in publico Consistorio die x. eiusdem mensis Episcopus Pictauensis, Archiepiscopus Tholosanus; obiit in Gallijs 26. Martij 1534. Hunc Ciacconus creatum asserit die 19. Decembris 1530. in quinta Cardinalium creatione.

DECIMA CREATIO.

Die 22. Martij 1531. Romæ.
Ex literis Clementis

ALPHONSVS MANRICVS HISPANVS, Archiepiscopus Hispalensis, Præsb. Tit. Sancti Callixti, vt in Breui, deindè Præsb. Basilicæ duodecim Apostolorum; obiit in Hispania circa mensem Octobris 1538.

IOANNES TAVERA HISPANVS, Archiepiscopus Compostellanus, Præsb. S. Ioannis ante Portam latinam, deindè Basilicæ XII Apostolorum, Archiepiscopus Toletanus, Generalis Inquisitor Hispaniarum, & Guber-

bernator, absente Carolo Quinto, mortuus est 29. Septembris 1545. vt in manuscr. Ciacconus 1544. alij die prima Augusti 1545.

Hos duos Ciacconus affirmat fuisse creatos die 19. Ianuarij 1530. in quarta Cardinalium creatione.

VNDECIMA CREATIO.

Die 22. Septembris 1531.

ANTONIVS PVCCIVS FLORENTINVS, Episcopus Pistoriensis cum die 21. Iulij habita fuissent vota Cardinalium creatur Præsb. Tit. SS. Quatuor Coronatorum, posteà sanctæ Mariæ Transtiberim, Episcopus Albanus, Sabinus, Portuensis, & maior Pœnitentiarius, Episcopus Venetensis. Die Dominica 14 Octobris anno 1544. Balneoregij decessit.

DVODECIMA CREATIO.

Die 21. Februarij 1533. Bononiæ.

Fuerat habitum Consistorium secretum die Mercurij 19. Februarij in Ciuitate Bononiæ, in qua etiam Carolus V. permanebat, actumque fuit de creandis sex Cardinalibus, nihil tamen fuit conclusum. Die Veneris 21. iterum actum est de creandis Cardinalibus, Vrgebat Cæsar, vt inter alios Archiepiscopus

pus

pus Barensis, & Capuanus, ac Muscetulus crearentur. Sed Clemens, & Sacrum Collegium in Archiepiscopo Barensi tantùm ad preces Imperatoris assensum præbuit, fuit igitur creatus Stephanus Gabriel Merinus Archiepiscopus Barensis, Patriarcha Indiarum, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, posteà SS. Ioannis, & Pauli, Episcopus Giennensis, mortuus est die 28. Iulii 1535. Ciacconus mense Augusto.

IOANNES Archiepiscopus Tolosanus, Francisci Regis Christianissimi Consanguineus, de Regali progenie ortus, quem Leo X. in Cardinalem assumpsit, sed non publicauit. Fuit tandem publicatus hac die cum Titulo Sancti Martini in Montibus Vide sub Leone Decimo.

DECIMA TERTIA CREATIO

Die Veneris 7. Nouembris 1533. Massiliæ.

IOANNES DE VENEVA GALLVS, Episcopus Lexauiensis, Præsb. Tit. Sancti Bartholomæi in Insula, obiit in Gallijs die 7. Augusti 1543. Add. ad Ciaccon. asserit obijsse Romæ Nonis Ianuarij.

CLAVDIVS DE GIVRY GALLVS, Episcopus Lingonensis, Præsb. Tit. Sanctæ Agnetis in Agone, Episcopus Ambianensis, & Pictauensis, decessit die 9. Augusti 1561. ex scriptoribus Gallicis.

PHILIPPVS Frater germanus Ducis Albaniæ, Abbas Corbeiensis Sabaudus, Præsb. Tit. Sancti Martini in Montibus, deindè S. Mariæ Transtiberim, Episco-

copus Tusculanus, moritur Romæ die 21. Februarij 1550 huic concessit Paulus, vt gestare posset rubrum biretum, & alia ornamenta, & vestimenta, quæ gestare solent Cardinales non Regulares in Dominijs Regi Galliæ subiectis, ac in Ducatu Sabaudiæ anno 1535.

ODO, VEL ODOTTVS DE CASTIGLIONE GALLVS, Episcopus Belluacensis, Diaconus Sanctorum Sergij, & Bacchi, deinde sancti Hadriani; Administrator Ecclesiæ Tolosanæ. Pius Quartus Oddottum, vti hæreticum dannauit, & purpura priuauit die Mercurij vltima Martij 1563. die 16. Aprilis 1568. in Anglia expirauit.

Præter præfatos Cardinales Clemens Emmanuelem Philibertum Caroli Ducis Sabaudiæ ex Beatrice Infante Portugalliæ secundo genitum tertium ætatis annum vix ineuntem ex nunc, pro vt ex tunc, cum legitimæ ætatis fuerit elegit, seu promisit se electurum die 24. Martij 1530. anno septimo Pontificatus, qui tamen, defuncto primogenito Ducis, vxorem duxit.

GABRIELI pariter ex Marchionibus Salutiarum Pontifex pollicitus est se creaturum in S. R. E. Cardinalem in prima creatione ex Breui dato die 18. Februarij 1528, qui sit adhuc incertum est mihi.

PAV-

PAVLVS TERTIVS.

Alexander Farnesius Episcopus Ostiensis, & Decanus sacri Collegij creatur Summus Pontifex die 3. Octobris 1534. Die 3. Nouembris ad gradus Basilicæ B. Petri coronatur: migrauit ad Dominum in Monte Quirinali in Palatio hæredum Oliuerij Cardinalis Carafæ die x. Nouembris hora XIII. anno 1549.

CREATIONES CARDINALIVM.

PRIMA CREATIO.

Die Veneris 18. Decembris anno 1534. Ex Bulla eiusdem Pontificis, habitis die 16. Cardinalium votis, Romæ in Vaticano creauit vnum Cardinalem, qui fuit.

ALEXANDER FARNESIVS, ex filio Petro Aloysio, Nepos clericus Montis Flasconensis, & administrator Ecclesiæ Parmensis annum agens decimum quintum creatur Diaconus, cum denominatione Sancti Angeli in foro Piscium, quam Diaconiam vacare decreuit, sine tamen præiudicio Matthæi Episcopi Albanensis. Die 13. Augusti 1535. Diac. sanctorum Laurentij, & Damasi, Ex priore Diaconorum de consensu Cardinalium creatus est Prior Præsbyterorum: die Veneris 14. Aprilis 1564. Ex Præsbytero Episcopus Sabinus: die Veneris 12. Maij 1564. Tu-

Tuſculanus : die Mercurij 7. Februarij 1565. Portuenſis, ac Sanctæ Ruffinæ : die 9. Iulij 1578. Oſtienſis, ac Veliternus, & Sacri Collegij Decanus, die 5. Nouembris 1580. Patriarcha Hieroſolymitanus, cui ceſſit die vltima Februarii 1550.; ac S.R.E. Vicecancellarius : Archipræsb. S. Mariæ Maioris, ac Baſilicæ Sancti Petri : Epiſcopus, ſeu Adminiſtrator Eccleſiæ Cauallicenſis, Maſſanæ, & Populonienſis, Spoletanæ, Giennenſis, ac ſecundùm Ciacconum Viſenſis : Archiepiſcopus Montis regalis, ac Aueniouenſis : legatus de latere ad Ferdinandum Regem Romanorum anno 1539., Ad Cæſarem, Regemque Gallorum, vt vtrique gratularetur 1541., deindè pro pace 1543., Ad Cæſarem cum exercitu contra Proteſtantes 1546. ac legatus in Prouincia Patrimonii B. Petri in Tuſcia, & Aueniouenſis, Gubernator Tiburis, Spoleti, & Firmi : hic, eo quod in tradendis Cardinalatus inſignibus non fuiſſent ſeruatæ antiquæ conſuetudines, obtinuit perindè valere (vt vocant) ſuper Cardinalatu die vltima Maii 1535. & vocatus ad Vrbem à Iulio Tertio dum Ciuitas Parmenſis obſideretur à copiis Pontificis, & Cæſarianis in Galliam ad Regem profectus eſt; mortuus eſt Romæ die 2. Martii 1589.

GVIDO ASCANIVS SFORTIA DE SANTAFLORA, ex filia Conſtantia, nupta Boſio Comiti de Sancta Flora, Nepos, Clericus Cluſinæ Diœceſis, annum agens decimum quintum, Adminiſtrator Eccleſiarum Montisflaſconenſis, & Cornetanæ. Diaconus Sanctorum Viti, & Modeſti in Macello Martyrum, poſteà Sancti

ti Eustachij, ac Sanctæ Mariæ in Via lata; Ciacconus addit Sanctæ Mariæ in Cosmedin: S. R. E. Camerarius, Administrator Ecclesiæ Parmensis, Clusinæ Lodonen, Patriarcha Alexandrinus, legatus Bononiæ, & exarchatus Rauennæ, ac Romandiolæ, & in Pannoniam contrà Turcas: decessit die 7. Octobris 1564. Romæ sepultus.

Ciàcconus hos duos affirmat fuisse creatos die 21. Maii. vndè id acceperit incertum.

SECVNDA CREATIO.

Die xx. Maij 1535. Pontifex in Congregatione recepit vota Cardinalium pro creandis septem Cardinalibus, & die sequenti 21. in secreto Consistorio publicati fuerunt, non sine magna Patrum discordia, & altercatione, apud Sanctum Petrum, ex Breue Pauli III., & Diario Gualterij.

NICOLAVS A SCOMBERGH SVECCVS ex ordine Prædicatorum, Archiepiscopus Capuanus, Præsbyter Tit. Sancti Xisti ex aliquibus 9. Septembris 1537. Ciacconus anno 1535.

IOANNES BELLAIVS GALLVS, Orator Règis Gallorum, Archiepiscopus Parisiensis, Præsbyter Tit. Sanctæ Cæciliæ ex literis Pontificijs, deindè Præsb. Tit. S. Petri ad Vincula, Sancti Hadriani, ac Sanctæ Mariæ Transtiberim, Episcopus Albanus, Tusculanus, Portuensis, ac Ostiensis, & Decanus sacri Colle-

legii à Paulo Quarto declaratus (Ludouico Borbonio Episcopo Prænestino Cardinale antiquiore absente) Administrator Burdigalensis, ac Cænomanensis, obiit Romæ die 16. Februarii 1560. Titulum Sancti Vitalis, Bellaio datum, vt scribitur in Ciaccono, non inueni.

HIERONYMVS GHINVCCIVS SENENSIS, Auditor Cameræ Apostolicæ, Episcopus Vigorniensis, Præsb. Tit. S. Balbinæ; posteà Sancti Clementis: Administrator Cauallicensis, Mileuitanus, ac Tropiensis. decessit Romæ die 3. Iulii 1541. Ex manuscr., & ex Gualterio. Ciacconus mense Iunio.

IACOBVS SIMONETTA MEDIOLANENSIS, Episcopus Pisauriensis, Auditor Rotæ Sacri Palatii, Præsb. Sancti Cyriaci in Thermis, posteà sancti Apollinaris, Episcopus Perusinus, Laudensis, Nepesinus, ac Sutrinus, & Cpmpsanus, mortuus est Romæ die prima Nouembris 1539.

IOANNES FISCHERIVS Episcopus Roffensis, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, dum in carcere detineretur ab Henrico VIII. Rege Angliæ, iussu eiusdem Regis securi percussus. Nuncius necis Romam delatus est die 26. Maii, quinque scilicet diebus post ipsius creationem, quare antequam crearetur Cardinalis vitam exuerat; Vndè dubitare licet, an vera sint, quæ apud Ciacconum leguntur, Cardinalatus insignia ad Roffensem missa fuisse, quibus ille in carcere acceptis non est vsus; eoque magis, quia illi Cardinalatus insignia tunc temporis non fuerant missa.

GASPAR CONTARENVS VENETVS Diaconus Sanctæ Ma-

riæ in Aquiro, posteà Præsbyter Sanctæ Balbinæ sancti Apollinaris, sancti Vitalis, ac sanctæ Praxedis, Episcopus Bellunensis, ac legatus ad Cæsarem destinatus, obiit Bononiæ die 24. Augusti 1542., Ex Petro Paulo Gualterio, & Episcopo Thelesino: alii scribunt die prima Septembris eodem anno, licet non desint, qui obitum referant ad annum 1543.

MARINVS CARACCIOLVS NEAPOLITANVS, Protonotarius Apostolicus hac die reseruatus in pectore, & Cardinalis declaratus, sed publicatus die 31. Maii 1535., qua Ciacconus creatum asserit, Diac. sanctæ Mariæ in Aquiro: legatus ad Cæsarem in Italia commorantem: Decessit Mediolani pro Carolo V. Gubernator, & produx die 28. Ianuarii 1538.

TERTIA CREATIO.

Die 20. Decembris 1536. actum est de creatione Cardinalium in secreto Consistorio, quod durauit vsque ad noctem. Die 22. creati, & publicati fuerunt nouem Cardinales: duo reseruati fuerunt in pectore; alter arbitrio Pontificis, alter ad praces Imperatoris declarandus: ex Gualterio.

IOANNES MARIA DE MONTE SANCTI SABINI, Auditor Cameræ Apostolicæ, Archiepiscopus Sipontinus, Præsb. Tit. sancti Vitalis, ac sanctæ Praxedis, posteà Episcopus Prænestinus, Administrator Papiensis,

ſis, & Polignanenſis, legatus in Bononia, deindè in Prouincia Romãdiolæ, quam à Bononienſi ſeparauit. inſuper in Parmenſi, Placentina, ac Gallia Ciſpadana vnus ex legatis præſidentibus pro Concilio Tridenti celebrando, demùm Iulius Tertius.

IOANNES PETRVS CARAFA, Archiepiſcopus Neapolitanus, Præsb. Tit. S. Pancratii, poſteà S. Sixti, ſancti Clementis, ac ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, Epiſcopus Albanus, Sabinus, Tuſculanus, Portuenſis, Oſtienſis, & demùm Paulus Quartus.

ENNIVS PHILONARDVS DE BAVCO, Epiſcopus Verulanus, & Præfectus Arcis Sancti Angeli, Præsb. Tituli ſancti Angeli in foro Piſcium, Epiſcopus Albanus, Adminiſtrator Eccleſiæ Feretranæ, legatus in Ciuitatibus Parmenſi, Placentina, totaque Gallia Ciſpadana, & contrà Ducem Vrbini pro recuperando Ducatu Camerini: deſiit eſſe inter mortales die Iouis 19. Decembris 1549. nocte præcedenti: Ciaccon. 1550.

CHRISTOPHORVS IACOBACCIVS ROMANVS, Epiſcopus Caſſanus, Rotæ Auditor, & Pontificis Datarius, Præsb Tit. Sanctæ Anaſtaſiæ, mox ſancti Euſtachii, appellatus legatus Vmbriæ, & ad Cæſarem anno 1537. pro pace cum Rege Galliarum ineunda: deceſsit Peruſii die 7. Octobris 1540. Ciacc. menſe Septembris.

CAROLVS EMARDVS GALLVS, Epiſcopus Matiſconenſis, Franciſci Regis Francorum orator, Præsb. S. Matthæi in Merulana, Epiſcopus Ambianenſis: deceſsit 23. Au-

Augusti 1540. ex Tumulo. Ciaccon. anno 1539.

IACOBVS SADOLETVS MVTINENSIS, Episcopus Carpenctoratensis, Præsbyter Sancti Callisti, postea sanctæ Balbinæ, & sancti Petri ad vincula, legatus ad Regem Francorum pro sedandis discordiis inter ipsum, & Cæsarem subortis, decessit 18. Octobris 1547.

RODVLPHVS PIVS DE SABAVDIA ex Comitibus de Carpo, Episcopus Fauentinus, Nuntius Sedis Apostolicæ apud Regem Francornm, Præsbyter Tit. sanctæ Pudentianæ, deindè sanctæ Priscæ, sancti Clementis, ac sanctæ Mariæ Transtiberim, Episcopus Albanus, Tusculanus, Portuensis, ac Ostiensis, vnus ex Inquisitoribus hæreticæ prauitatis anno 1555., Præsul Nolanus, Agrigentinus, & Salernitanus, legatus in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, in Marchia Anconitana, & bis in Vrbe Romana, eiusque districto, Ad Regem Gallorum pro pace cum Cæsare, & ad ipsum Cæsarem, decessit Romæ die 2. Maii 1564.

REGINALDVS POLVS ANGLVS è Regio sanguine, Diac. sanctorum Nerei, & Achillei, deindè sanctæ Mariæ in Cosmedin, ac Præsbyter eiusdem Ecclesiæ, Archiepiscopus Cantuariensis, legatus sub Paulo Tertio pro rebus totius Christianitatis ad Reges, & Reginas Galliarum, & Nauarræ, ad Reginam Scotiæ, ad Gubernatricem Flandriæ, & in Angliam: Item legatus ad Cæsarem in Hispanias, & Regem Galliarum pro pace. rursùs sub Iulio Tertio legatus ad Cæsarem, Regem Galliarum, & in Angliam, legatus in Prouincia Patrimonii Beati Petri in Tuscia: decess-

cesſit die 16. Nouembris 1558. Ciacconus attribuit eidem Titulum ſanctæ Priſcæ, de quo dubito, cum conſtet ex Actis conſiſtorialibus, quod Reginaldus Polus in principio ſuæ creationis habuerit Diaconiã ſanctorum Nerei, & Achillei, qua dimiſſa, 21. Martii 1540. optauit Diaconiam ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & hanc, cum fuiſſet declarata Præsbyteralis die xi. Decembris 1555. retinuit. Titulum verò Præsbyteralem ſanctæ Priſcæ optauit Federicus Card. Cæſius die vltima Februarii 1550. quem dimiſit 20. Septembris 1557., & Titulum ſanctæ Priſcæ optauit Ioannes Angelus Medices, quem retinuit, donec fuit factus Pontifex Pius IV. ad annum 1560., & tamen duobus annis antè, ſcilicet 1558. obierat Cardinalis Polus.

RODERICVS, SEV LVDOVICVS BORGIA HISPANVS filius Ioannis Borgiæ Ducis Gandiæ ex Franciſca de Caſtro, & de Pinos, Diac. ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, obiit menſe Iulii 1537. nuntiatus eſt Romæ obitus die 6. Auguſti.

HIERONYMVS ALEANDER DE MOTA, Archiepiſcopus Brunduſinus, & Oritanus, Præsb. ſancti Chryſogoni creatus hac die, & reſeruatus in pectore, ſed publicatus die 13. Martii 1538., legatus ad Ioannem Regem Hungariæ, ad Regem Boemiæ, in Germaniam ad Carolum V. pro vnione procuranda in Germania: deceſsit Romæ prima Februarii 1542.

NICOLAVS, SEV COLA CAIETANVS ROMANVS ex fratre Conſobrino Pontificis nepos in XIII. anno circiter conſtitutus Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus ſan-

sancti Nicolai in Carcere Tulliano, posteà sancti Eustachii, Administrator Ecclesiæ Capuanæ, Compsanæ, Bisignanensis, & Corozopotensis, legatus ad Carolum V. reseruatus hac die in pectore, ex manuscr., & publicatus, & creatus die XIII. martii 1538. vna cum Hieronymo Aleandro Cardinale Brundusino: mortuus est Romæ prima maii 1581. Ciacconus locat in quinta creatione, in qua asserit ipsum vnicè fuisse creatum.

QVARTA CREATIO.

Die 18. Octobris 1538. anno quarto, Romæ in Congregatione generali, Ex Bulla creationis.

PETRVS SARMIENTVS HISPANVS, Archiepiscopus Compostellanus, Præsb. Basilicæ XII. Apostolorum ad præces Imperatoris; obiit Lucæ 1541. Hunc Ciacconus affirmat creatum die 18. Decembris vna cum aliis quatuor Cardinalibus, Pontificatus anno V.

QVINTA CREATIO.

Die 20. Decembris 1538. Romæ in secreto Consistorio.

IOANNES ALVAREZ DE TOLETO HISPANVS, ex ordine Prædicatorum, Episcopus Burgensis ad præces Imperatoris, Præsb. Tit. S. Mariæ in Porticu, deindè sancti

sancti Xisti, ac sancti Clementis, sancti Pancratii, ac sanctæ Mariæ Transtiberim. Titulos sancti Pancratii, ac sancti Clementis vniuit Iulius Tertius die vltima Februarii 1550. Die 4. Decembris 1551. dissoluit vnionem, & Ioannes retinuit Titulum sancti Pancratii, Episcopus Albanus, & Tusculanus, Archiepiscopus Compostellanus, decessit in Vrbe die 14. Septembris hora septima noctis sequentis anno 1557. Ciacconus scribit fuisse creatum cum Titulo sancti Xisti.

PETRVS MANRICVS HISPANVS, Episcopus Cordubensis, ad preces Imperatoris, Præsb. sanctorum Ioannis, & Pauli: Romæ moritur ex peste die 7. Octobris 1540. Ciacconus vocat Ennecum.

ROBERTVS LVCEMBVRGENSIS DE LENONCVRTIO GALLVS, Episcopus Catalaunensis ad preces Regis Gallorum, cuius erat orator apud Carolum V. pro Ducatu Gheldriæ, Præsb. Tit. sanctæ Anastasiæ, deindè sancti Apollinaris, ac sanctæ Ceciliæ, quem Titulum sanctæ Ceciliæ ex præmutatione suscepit; cum esset Prior Præsbyterorum & vacasset Ecclesia Albanensis, quam titulo optionis poterat consequi, consensit, vt eam optaret Franciscus Pisanus anno 1560., creatus est Episcopus Sabinus, Episcopus Matensis, Ebredunensis, Archiepiscopus Tolosanus, & Antisiodorensis. Metis obiit die 2. Februarii 1561.

DAVID BETONIVS SCOTVS, electus Mirapicensis, & Coadiutor Ecclesiæ sancti Andreæ, ad preces Iacobi Scotorum Regis Præsb. sancti Stephani in Cælio

monte, legatus in Regno Scotiæ, in quo poſt obitum Regis Iacobi captus ab hæreticis, carceri mancipatur. Paulus pro eius liberatione Marcum Patriarcham Aquileienſem delegauit in Scotiam, ſed obtinere non potuit: die 28. Maii 1547. conſtans Fidei Catholicæ defenſor euolauit ad ſuperos.

HIPPOLYTVS ALPHONSI Ducis Ferrarienſis, ex Lucretia Borgia filius, Adminiſtrator Eccleſiæ Mediolanenſis, creatus hac die ad preces Regis Galliarum, & publicatus die 5. Martii 1539. Diaconus ſanctæ Mariæ in Aquiro, quo Titulo retento, die prima Martii 1564. tranſiit ad ordinem Præsbyteralem, deindè ſanctæ Mariæ nouæ, quam Eccleſiam vſque ad obitum retinuit: Trecorenſis Epiſcopus, ac Ferrarienſis, Sacerdotiis, & legationibus inſignitus deceſſit die 2. Decembris 1572. in Ciaccone legitur creatus die 5. Maii 1539: errore Amanuenſis, qui pro menſe Martii ſcripſit menſem Maii, quo fuit publicatus.

PETRVS BEMBVS VENETVS Ordinis Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani Prior Bononienſis, hac die creatus ad preces Reipublicæ Venetæ, & publicatus die 24. Martii, quo die Ciacconus creatum affirmat, Diac. ſancti Cyriaci in Thermis, poſteà Præsb. S. Chryſogoni, ac S. Clementis, Epiſcopus Eugubinus, & Bergomenſis, obiit die 18. Ianuarii nocte ſequenti 1547.

SEX-

SEXTA CREATIO.

Die 12. Decembris 1539. In ſecreto Conſiſtorio producto vſque ad ſecundam noctis horam, non ſine magna Patrum controuerſia Pontifex creauit duodecim Cardinales quorum vndecim publicauit: hi ſunt.

FEDERICVS FREGOSIVS GENVENSIS, Archiepiſcopus Salernitanus, & Epiſcopus Eugubinus, Præsb. Tituli ſanctorum Ioannis, & Pauli, in alio Breui enunciatur, per ipſius obitum vacaſſe Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Porticu, moritur die 22. Iulii 1541.

ANTONIVS DE SANGVINE DE MEDON GALLVS, Epiſcopus Aurialenſis, Præsb. ſanctæ Mariæ in Porticu, deindè ſancti Chryſogoni ad preces Franciſci Regis Gallorum, Archiepiſcopus Toloſanus; deceſsit die 25. Nouembris 1559. ex auctoribus citatis in Additione ad Ciacconum, qui ſcribit obiiſſe die 19. Decembris: in Gallia purpurata die Veneris 22. Decembris.

IOANNES PETRVS DE BAVMA BVRGVNDVS, Epiſcopus Gebennenſis, Præsb. Sanctorum Ioannis, & Pauli, ad preces Regis Francorum, Archiepiſcopus Biſſuntinus: mortalitatem exuit die 4. Maii 1544. Ciacconus vocat Petrum.

ASCANIVS PARISIANVS TOLENTINAS, Epiſcopus Ariminenſis, Pontificis Datarius, Præsb. Tit. ſanctæ Pudentianæ, legatus Peruſiæ, & Vmbriæ, Campaniæ, ac Maritimæ ac Terræ Pontis curui, & Caſtris, &

locis ſpectantibus ad Aſcanium de Columna; obiit Romæ die Mercurii 3. Aprilis 1549. Ciac. ſcribit fuiſſe legatum vnà cum Marcello ſanctæ Crucis ad Cæſarem: ſed is fuit Petrus Paulus Pariſius, de quo inferius.

VBERTVS GAMBARA BRIXIENSIS, Epiſcopus Serdonenſis, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Præsb ſanctorum Siluestri, & Martini in Montibus, deindè S. Apollinaris, ac ſancti Chryſogoni, Adminiſtrator Eccleſiæ Policaſtrenſis, Parmæ, Placentiæ, ac Gallicæ Ciſpadanæ legatus: deſiit eſſe inter mortales die Iouis 14. Februarii anni 1549.

PETRVS PAVLVS PARISIVS CVSENTINVS, Epiſcopus Nuſcanus, Audiror Cameræ Apoſtolicæ, Præsb. Tit. ſanctæ Balbinæ, Epiſcopus Anglonenſis, legatus ad Imperatorem vnà cum Marcello ſanctæ Crucis in Hieruſalem Præsbytero. E vita exceſsit die Sabbati 9. Maii 1545.

MARCELLVS CERVINVS DE MONTE POLITIANO, Epiſcopus Neocaſtrenſis, ſecretarius Pontificis, Præsb. S. Crucis in Hieruſalem: Epiſcopus Regienſis, & Eugubinus; legatus in Ciuitatibus Parmæ, ac Placentiæ, & in Gallia Ciſpadana, vnus ex legatis Præſidentibus in Concilio Tridentino ſub Paulo Tertio 1545., legatus, item ad Imperatorem cum Petro Paulo Pariſio. Demùm Marcellus Secundus.

BARTHOLOMÆVS GVIDICCIONVS LVCANVS, Epiſcopus Apruntinus, Præsb. ſancti Cæſarei in Palatio, poſteà ſanctæ Priſcæ, Epiſcopus Cluſinus, ac Lucanus, maior Pœnitentiarius, Mortuus eſt die martis 4.

No-

Nouembris ñocte antecendenti 1549. ex manuscr., & ex Diario Angeli Massarelli præsente in Vrbe: in tumulo legitur decessisse die 28. Augusti; licet Abbas Ferdinandus Vghellius in additione ad Giacc. innixus Tumulo Ciaccono non adhæreat.

DIONISIVS LAVREVS BENEVENTANVS, Magister Generalis ordinis seruorum, Præsb sancti Marcelli, Episcopus Vrbinas, legatus in Campania, & maritima, diem obiit 17. Septembris 1542.

IACOBVS SABELLVS ROMANVS Papæ affinis, ac Cubicularius, in Vniuersitate Patauij studens Diac. sanctæ Luciæ in septem zonis, deindè sanctorum Cosmæ, & Damiani, sancti Nicolai in Carcere Tulliano, ac sanctæ Mariæ in Cosmedin, deindè Præsbyter eiusdem Ecclesiæ, ac sanctæ Mariæ Transtiberim: Episcopus Albanus, Sabinus, Tusculanus, Prænestinus, ac Portuensis: Episcopus Administrator Neocastrensis, Eugubinus, Apruntinus, & Archiepiscopus Beueuentanus, Papæ Vicarius in Vrbe, eiusque districtu; legatus in Marchia Anconitana; moritur Romæ die 5. Decembris 1587. An fuerit Diaconus sanctæ Luciæ in Silice, & Episcopus Albanus, vt asseritur in Ciaccono, incertum est apud me.

HENRICVS BORGIA VALENTINVS, Episcopus Squillacensis, Diac. sanctorum Nerei, & Achillei post obitum Roderici Cardinalis Borgiæ ab eodem Paulo creati in memoriam beneficiorum ab Alexandro sexto receptorum inter Cardinales adnumeratur, excessit è viuis die 16. nocte sequenti Septembris 1540.

Mi-

Michael de Silva Portvgallensis, Episcopus Visensis reseruatus in pectore creatur, & publicatur die 2. Decembris 1541., qua die Ciacconus creatum affirmat ad preces Regis Portugalliæ, Præsb. Basilicæ XII. Apostolorum, deindè sanctæ Praxedis, sancti Marcelli, sancti Pancratii, ac sanctæ Mariæ Transtiberim: Episcopus Messanensis, legatus in Marchia Anconitana, Ciuitate Bononiæ, & ad Carolum Quintum pro pace cum Rege Franciæ ineunda. moritur die 5. Iunii 1556. in Diario legitur obiisse die 3. Iunii, & ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Transtiberim fuisse relatum.

SEPTIMA CREATIO.

Die vltima Maij 1542. Pontifex recepit Vota pro creandis Cardinalibus, prout die Veneris 2. Iunij creauit nouem, quorum duos sibi reseruauit in pectore, vt loquitur Petrus Paulus Gualterius in Diario: Ciacconus die sexto nonas Iulij hoc est die 2. Iulij fortè per errorem Amanuensis.

Ioannes Hyeronimvs Moronvs Mediolanensis, Episcopus Mutinensis, Præsb. Tit. Sancti Vitalis, deindè sancti Stephani in Cœlio Monte, sancti Laurentii in Lucina, ac sanctæ Mariæ Transtiberim; Episcopus Albanus Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, ac Ostiensis, bis in Germaniam legatus, ac Genuam missus pro sedandis Reipublicæ motibus.

e viuis ereptus est die prima Decembris 1580

MARCELLVS CRESCENTIVS ROMANVS, Episcopus Marsicanus, sacri Palatii Auditor, Præsbyter Tituli sanctorum Ioannis, & Pauli, posteà sancti Marcelli, Præsul Compsanus, legatus Bononiæ, & Præsidens in Concilio, decessit die prima Iunii 1552.

IOANNES VINCENTIVS AQVAVIVA NEAPOLITANVS, Episcopus Melphiensis, & Rapollanus, Arcis sancti Angeli Præfectus, Præsb. SS. Siluestri, & Martini in Montibus, obiit die 2. Augusti 1546.

POMPONIVS CÆCIVS ROMANVS Canonicus S. Ioannis Lateranensis, Episcopus Nepesinus, Sutrinus, ac in Vrbe Vicarius, Præsb. Sancti Cyriaci in Thermis moritur die 3. Augusti nocte subsequenti 1542.

ROBERTVS PVCCIVS FLORENTINVS, defuncta Vxore, Episcopus Pistoriensis, Præsb. Tit. Sanctorum Nerei, & Achillei, posteà SS. Quatuor Coronatorum Episcopus Melphiensis, & Rapollanus; maior Pœnitentiarius, mortuus est die 17. Ianuarii 1547. hora circiter duodecima.

THOMAS BADIA MVTINENSIS ex ordine Prædicatorum Magister Sacri Palatii, Præsb. Card. sancti Siluestri, moritur hora noctis nona ante diem martis 6. Septembris 1547.

GREGORIVS CORTESIVS MVTINENSIS ex ordine sancti Benedicti Congregationis sanctæ Iustinæ de Padua, Præsb. Tit. S. Cyriaci in Thermis: Episcopus Vrbinas, obiit ante diem 21. mensis Septembris 1548.

CHRISTOPHORVS MADRVTIVS GERMANVS, Episcopus Tridentinus, & Administrator Brixiensis, creatus hac

hac die, sed reseruatus in pectore, & publicatus die 19. Decembris 1544. (Ciacconus scribit fuisse creatum die 5. Iulii eodem anno.) Præsb. Tit. S. Cæsarii, deinde S. Chrysogoni, ac S. Mariæ Transtiberim, Episcopus Sabinus, Prænestinus, ac Portuensis legatus in Marchia Anconitana, ac ad Carolum Quintum à Paulo Tertio missus. diem obiit 5. Iulii 1578.

Alter ex duobus in pectore reseruatis declarandus, ignoratur, an fuerit declaratus, & quatenus fuerit declaratus, quis ille sit.

OCTAVA CREATIO.

Die 19. Decembris anno 1544. Romæ in sacris Ieiunijs.

GASPAR DE AVALOS HISPANVS, Archiepiscopus Compostellanus, ad preces Imperatoris creatur Cardinalis: pileum rubrum fuit illi transmissum sine Titulo die 8. Augusti 1545 decessit sine Titulo anno eodem 1545.

GEORGIVS E COMITIBVS DE ARMANIACO GALLVS, Episcopus Ruthenensis, & Administrator Ecclesiæ Vabriensis, Regis Francorum apud Pontificem orator, ad eiusdem preces Præsb. sanctorum Ioannis, & Paoli, posteà sancti Laurentii in Lucina, ac sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Archiepiscopus Auenionensis, ac Tolosanus; legatus Auenionensis, mor-

mortuus est in Gallia die Iouis 5. Iunii 1585.

FRANCISCVS DE MENDOZA HISPANVS, Episcopus Cauriensis, ad preces Caroli V. Imperatoris Præsb. Tit. S. Mariæ de Aracæli, qui inuentus est fuisse suppressus à Clemente Septimo, ideò concessit eidem Paulus Titulum sancti Ioannis antè portam latinam, posteà sancti Eusebii, Episcopus Burgensis, Archiepiscopus Valentinus, obiit die 3. Decembris 1566.

IACOBVS DE ARMEBAVD GALLVS, Episcopus Lexouiensis, ad preces Regis Francorum, Præsb. Tit Sancti Bartholomæi in Insula, ac sanctæ Susannæ; moritur in Galliis die 6. Iunii 1557.

OTHO TRVRCHESIVS GERMANVS, Episcopus Augustanus, Præsb. S. Balbinæ, S. Sabinæ, ac S. Mariæ Transtiberim, Episcopus Albanus, Sabinus, Prænestinus, Episcopus Herbipolensis, ac sub Paulo Tertio totius Germaniæ Commissarius Generalis; moritur Romæ die 2. Aprilis 1573. Ciacconus 1583.

BARTHOLOMÆVS DE LA CVEVA HISPANVS, Protonotarius Apostolicus, Præsb. Tit S. Matthæi, S. Bartholomæi, ac S. Crucis in Hierusalem, Episcopus Cordubensis, obiit die vltima Iunii 1562.

FRANCISCVS SFONDRATVS CREMONENSIS, Archiepiscopus Amalphitanus, Præsb. SS. Nerei, & Achillei, ac S Anastasiæ, Episcopus Caputaquensis, Laquedonensis, ac Cremonensis, legatus ad Cæsarem Perusii, ac in Diœcesi Cremonensi, & locis eius temporali dominio subiectis, moritur die vltima Iulii 1550.

FEDERICVS CÆSIVS ROMANVS, Episcopus Tudertinus Cameræ Apostolicæ Clericus, Præsb. Tit. Sancti Pancratii, deindè sanctæ Priscæ, Episcopus Prænestinus, Tusculanus, ac Portuensis, Episcopus Cremonensis: an fuerit Albanus incertum mihi est: decessit Romæ die 28. Ianuarii 1565.

DVRANTES DE DVRANTIBVS BRIXIENSIS, Episcopus Cassanus, Præsb. Basilicæ duodecim Apostolorum, Episcopus Brixiensis. Camerini, & Vmbriæ legatus, moritur Brixiæ die 24. Decembris 1557.

NICOLAVS ARDINGHELLVS FLORENTINVS, Episcopus Forosemproniensis, Pontificis Prælatus Domesticus, Præsb. S. Apollinaris: Die Martis 23. Augusti 1547. Romæ moritur.

ANDREAS CORNELIVS VENETVS, Episcopus Brixiensis, Cameræ Apostolicæ Clericus, Diac. sancti Theodori, ac sanctæ Mariæ in Dominica, legatus in Prouincia Patrimonii, obiit die 30. Ianuarii 1551.

HIERONYMVS RICENAS DE CAPITE FERREO ROMANVS, Episcopus Niciensis, Pontificis Datarius, Diaconus sancti Georgii ad Velabrum, legatus Prouinciæ Romandiolæ à legatione Bononiensi separatæ, legatus ad Regem Francorum, ac Pontificis ad omnia peragenda Procurator, ac ad Regem Angliæ; moritur Romæ die prima Octobris 1559.

TIBERIVS CRISPVS ROMANVS frater naturalis Constantiæ Farnesiæ (teste Episcopo Thelesino, Episcopus Suessanus, Pontificis Prælatus Domesticus, ac in Arce sancti Angeli Præfectus, Diaconus sanctæ Agathæ;

thæ, deindè Præsbiter sanctæ Mariæ Transtiberim, ac Episcopus Sabinus, Administrator Ecclesiarum Nepesinæ, ac Sutrinæ, Archiepiscopus Amalphitanus; legatus Vmbriæ, decessit Sutrii die 14. Octobris 1566.

NONA CREATIO.

Die Mercurij 16. Decembris anno 1545., vt in literis Apostolicis datis hac die, mense, & anno. Ciacconus anno 1546.

GEORGIVS DE AMBOSIA GALLVS, Archiepiscopus Rothomagensis, Præsb. Tit. Sanctorum Marcellini, & Petri, ad preces Regis Francorum, obiit in Galliis die 22. Augusti 1550. Ciacconus 1552.

HENRICVS, frater Ioannis Regis Portugalliæ, Archiepiscopus Elborensis, Administrator Bracharensis, Præsb. Tit. SS. Quatuor Coronatorum, Vlixiponensis Archiepiscopus, legatus in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & generalis Inquisitor, demùm Rex Portugalliæ, die vltima Ianuarii anno 1580. decessit.

PETRVS PACECHVS HISPANVS, Episcopus Giennensis ad supplicationem Caroli V. Præsb. S. Balbinæ, Episcopus Albanus, Episcopus Saguntinus, obiit Romæ die 4. Martii 1560. Ciaccon. die 4. Februarii.

RAINVCCIVS FARNESIVS Nepos Pontificis ex filio, Administrator Ecclesiæ Neapolitanæ, Diacon. sanctæ Luciæ in Silice, deindè sancti Angeli in foro piscium, & mox Præsbyter eiusdem Ecclesiæ, sanctorum Quatuor Coronatorum, Episcopus Sabinus, Boloniæ Episcopus, Rauennæ Archiepiscopus, Patriarcha Constantinopolitanus, maior Pœnitentiarius, legatus in Prouincia Patrimonii, & in Marchia Anconitana, mortuus est Parmæ die 29. Octobris hora 16. 1565.

DECIMA CREATIO.

Die Mercurij 27. Iulij anno 1547.

CAROLVS GVISIANVS DE LOTHARINGIA, Archiepiscopus Metensis, Præsb. Tit. sanctæ Cæciliæ, ac sancti Apollinaris, in gratiam Regis Henrici Secundi legatus ad Galliam sub Paulo Quarto ad eumdem Henricum, pro quo Vices gesserat Oratoris, sub Paulo Tertio, & pro Carolo Nono ad Regem Hispaniarum, legatus in Metensi, Tullensi, Virdunensi Diœcesibus, & in Lotharingiæ, & Barri Ducatibus, Episcopus Ebroicensis, Archiepiscopus Rhemensis, obiit Auenione die 26 Decembris 1574.

IVLIVS DE RVVERE frater germanus Guidobaldi Ducis Vrbini, reseruatus in pectore, & nominatus die

9.

9. Ianuarii 1548. Diac. sancti Petri ad Vincula, deindè Prior Diaconorum, de consensu Cardinalium; Episcopus Albanus, Sabinus, ac Prænestinus, Episcopus Vrbinas, Recanatensis, Vincentius, Archiepiscopus Rauennatensis, legatus Vmbriæ, obiit Forosempronii die 3. Septembris 1578. Ciacconus affirmat creatum die 9. Ianuarii 1549.

VNDECIMA CREATIO.

Die Lunæ 9. Ianuarij 1548., vt in literis Apostolicis.

CAROLVS DE BORBONIO, Episcopus Xantonensis, Diaconus Ecclesiæ sancti Sixti, quæ erat Præsbiteralis, ad preces Regis Francorum, deindè sancti Chrysogoni Præsbyter, Archiepiscopus Rothomagensis, Administrator Bellouacensis, Vicarius in Ciuitate Auenionensi, Comitatu Venaisino, & in illis, ac in Viennensi, Narbonensi, Arelatensi, Ebredunensi, Aquensi, & Narbonensi Prouinciis legatus de Latere, ac in Prouincia Patrimonii, obtinuit vt in Consistorio, aliisque publicis, & priuatis actibus immediatè post Tiberium Crispum Præsbiterum sanctæ Agathæ locum haberet, causa mihi incerta est. Decessit die Mercurii 2. Maii anno 1590. ex Ciaccono priusquàm libertate donaretur ab Eurico Rege Nauarræ, & postquam publica acclamatione fuerat renunciatus, Rex Galliarum, Carolus Decimus. Ciac-

Ciacconius ſcribit fuiſſe creatum die 27. Iulii : in Gallia purpurata legitur obiiſſe die Mercurii 9. Maii, cui credendum cenſebam.

DVODECIMA CREATIO.

Die 8. Aprilis anno 1549. Romæ.

HIERONYMVS VERALLVS ROMANVS, Archiepiſcopus Roſſanus, deindè ſancti Marcelli, Epiſcopus Caputaquenſis, & ad Regem Francorum legatus, Romæ diem clauſit x. Octobris 1555.

IOANNES ANGELVS DE MEDICIS MEDIOLANENSIS, Archiepiſcopus Raguſinus, Præsb. Tit. S. Pudentianæ, ſanctæ Anaſtaſiæ, ac ſancti Stephani in Cœlio monte, Epiſcopus Caſſanus, & Fulginas, in Romandiolæ legatus: demùm Pius Quartus.

PHILIBERTVS FERRERIVS PEDEMONTANVS, Epiſcopus Hipporegienſis, Præsb. Tit. S. Vitalis, mortuus eſt hora quarta noctis antè diem martis 14. Auguſti 1549

BERNARDINVS MAFFEIVS ROMANVS, Epiſcopus Maſſanus & Pontificis à ſecretis, Præsb. ſancti Cyriaci in Thermis, Archiepiſcopus Theatinus, moritur Romæ die 16. Iulii 1553.

Duos in vltima promotione Cardinales in pectore reſer-

ſeruatos Paulus obticebat, quos in Congregatione Cardinalium habita in Pontificio Cubiculo ad preces Alexandri Cardinalis Farneſii declarare morti proximus recuſaſſe fertur, ideoque Bernardino de Cruce literæ, quas ſub plumbo de Cardinalatu obtinuerat expediri, in prima poſt obitum Pontificis Cardinalium Congregatione, fuerunt laceratæ.

FINIS.

